1550

Pedioneus

IOANNIS PEDIONEI CONſtantini Hymnorum Liber.

EIVSDEM ODAE VII.

ORATIO DE CICEROnis, & eloquentiæ laudibus.

Cum gratia & priuilegio Imperatorio.

INGOLSTADII
excudebat Alexander
Vueiſſenhorn.

ANNO L. (1550)

FERDINANDO CAESARI, ROmanorum, Pannoniæ, Boemiæq́;, optimo & maximo Regi, Ioannes Pedioneus.

S. P. D.



OGITANTI mihi diu & multum, animoq́; repetenti uarias actiones hominum, & uoluntates, duo genera reperio, Ferdinande rex inuictissime, laude hominum digna: unum quidem eorum, qui ita in rebus gerendis uersari uoluerunt, ut ipsorum consilio atq; ope patria primum, resq́; publica, deinde optimus quisq; niteretur: alterum uero eorum, qui à publicis soluti laboribus: cæterisq́; curis liberi, omne tempus ætatis in excolendis optimarum artium studijs, magnarumq́; rerum disciplinis consumere maluerũt. Ac tametsi plus ferè popularis apud plerosq; laudis & gloriæ mereri uideãtur, qui in negotijs, quàm qui in ocio literarum nomen ac famam sibi constituérunt, uel propterea quod in administranda Rep. maius

quoddam uirtutum omnium lumen cernitur: prudentiæ quidem, in constituendis, & conseruandis: iustitiæ, in distribuendis & moderandis: fortitudinis autem in propugnandis: atq; amplificandis imperij finibus, omniq; genere officiorũ gerendo: tamen nec sua laude priuari debent, nec certa ratiõe caruerunt, qui aut magnis perfuncti laboribus contentionum atq; curarum ueluti spacio suo ac tempore decurso ad metas liberalis ocij constiterunt: aut ij qui à publicis omnino muneribus abstinentes, in doctrinæ studijs, & contemplatione diuinarũ humanarumq; rerum, totiusq; naturæ uitam tranquillã, plenamq; honestissimæ uoluptatis elegerunt. Ac sanè ut cæteras omittã liberales disciplinas & nobileis, quarum omniũ tanquam parens quædam & regina est philosophia: poeticam certè, quam accepimus antiquiorem fuisse, & constare nouimus ex omnibus ferè cæteris magnarum artium instrumentis, ita quibusdam summo ingenio præditis hominibus placuisse constat, ut eius humanitate & suauitate contenti, longè hoc studium popularis famæ muneribus, atq; honoribus anteferrent. Nec sane defuerunt ullis ferè temporibus magni homines, qui in utroq; parem laudem assequi uellent, & in actione, & contemplatione uirtutis: nec minus præclarum putarunt doctrinæ ac sapientiæ studijs: quam rerum gestarum gloria apud mortales immortalem nominis sui dedicare memoriam. Quo enim illa omnis doctrinæ atq; ingenij magistra Græcia, et in ea nobilissima illa

ma illa Athenienſium ciuitas, genere uirtutis caruit? qua deinceps laude non abundauit populus ille Romanus omnium temporum atq; gentium princeps? quæ duæ omnium maximæ respublicæ, uel ob id potiri rerũ meruiſſe mihi uidentur: quod non minus ingeniis, quàm factis præclaris ſua præmia, atq; honores eſſe uoluerũt. Rectè illi quidem atq; præclare, quid enim tantus ille uirtutum chorus, iuſtitia, grauitas, conſtantia, prudẽtia, aut quid magnitudo animi, atq; illa uis in omni genere uirtutum ad commendationem poſteritatis ualuiſſet, ſi tantum qui illas animo tenuiſſent: ac non etiam, qui ingenio propagaſſent ad omnium ſecu'orum memoriam fuiſſent. Hinc igitur exempla homines ceperunt: quorũ cognitione excitati quamplurimi ad imitandum ſe contulerunt: & imitatione eam quam perſeſe uix ipſi reperiſſent, ad egregia facinora uiã parauerunt: eamq; ingreſſi pleno gradu ad ſumma faſtigia contenderunt. Hinc reges, imperatores, duces & magni uiri innumerabiles extiterũt, qui cum ipſius pulchritudine uirtutis: tum multo magis ſpe poſteritatis accenſi, in maximas ſæpe contentiones, atq; in acerbiſſima uitæ diſcrimina caput ultrò ſuum obiecerunt. quod profecto non feciſſent, niſi tum à natura ipſa docti, & exemplis incitati ſenſiſſent aliquid eſſe ultra communem mortalis uitæ ſortẽ homini expetendum: & ſummum eſſe quoddã bonum, cuius ſimulacro, atq; imagine diuinæ illius immortalitatis, qua cũ Deo olim futuri ſumus, quamproximè delectationem

 & gloriam

& gloriam caperent, eamque propagarent ſeclis innumerabilibus. Magna itaque gratia, Ferdinande rex inuictiſſime, habenda eſt præclaris hominibus, non ſolum illis, qui dignas laude res geſſerunt: ſed illis etiam, qui literis laudauerunt, memoriæque mandarunt: non tam ipſis quidem hiſtoricis, quorum ſimplex plerumque magis grata ueritas eſt: quam poetis, qui cum diuino adflati ſpiritu canant, incredibiles habent animorum motus, atque uim maximam & ad perſuadendum, & ad excitandum. Robertum Sanſeuerinum illum Salerni ducem, cuius olim opera in bello & toga fideli atq; præclara uſus eſt auus tuus, Ferdinande, Diuus Maximilianus, audiuimus Homerico carmine tanquam tuba excitari ſolitum in prælijs: & cum á numeris illis, ſonoq; naturæ ipſi rerum proximo ſpiritum ſerè plusquam heroicum recepiſſet, in medias hoſtium turmas tanquam alterum Achillem irrupiſſe, ſuoq; exemplo uictoriam ſæpe ſuis reportaſſe. Idem de fortiſſimo atque acerrimo uiro audiuimus Ioanne Lyrano, qui cum ueterem nobilitatem, uetuſtate propè generis intermortuam, noua uirtute reuocarit, non parum laudis & gloriæ ſub fratre tuo, Ferdinande, Carolo Auguſto Imperatore, & in bello, & in pace conſtituit. atque is Virgiliani maieſtate carminis, ſic in prælijs, oppugnationibus, atque in omni genere bellorum accenditur, ſic inflammatur, ſic rapitur, ut cum maximo aliquando uitæ

diſcrimine

discrimine propè solus undique circunfusis hostibus, suum Imperatorem, fratrem tuum ad ipsa mœnia persequi ausus sit, & uirtutis antiquæ nouo exemplo oppositum flumen armatus equo traijcere. Multis profecto claris ducibus, imperatoribus, regibus animos addidit heroici carminis maiestas: & cum exempla ualuerunt, tum uis ipsa tacita naturæ ad præclaras res & gerendas, & obtinendas excitauit. Magna enim uis est carminis, magna certè Ferdinande rex, ut cum cæterarum artium scriptores doctrina, exercitatione, usu, prudentiaque nitantur humana, poetæ soli sorte quadam diuina, motuque cœlesti, canunt, hic Dei, Diuorumque immortalium laudes, ille uirtutes Heroum, aliusque alia, suoque potissimum quisque in genere excellit. Ob hancque causam, uerum est, quod credidit uetustas Deum ipsis mentem surripere, eisque tanquam ministris uti, oraculorumque nuncijs, & diuinis uatibus: ut ij qui audiunt, leguntue talia, liquidò percipiant, non tales eos esse, qui tam digna referant, cum suæ ipsi rationis uix compotes sint, sed intelligant hæc aliquod numen eloqui, & per illos hæc potissimum nobis inclamare. Quæ cum ita sint, non immeritò sapientissimi ueteres, quandiu homines & dicere laudanda, & facere sunt soliti, honores atque præmia constituerunt illis, qui uel urbium, certarumque gentium, uel etiam singulorum laudes perscripserant. Ac si rectè præmijs digni sunt habiti, qui hominum res me-

 morabiles

morabiles ſcripſerunt (nam uix tolerandi ſunt, qui ad obſcænam turpitudinem, maledicentiam atque eiuſmodi petulantiam, & animum, & orationem conuerterũt ſuam, quique à furijs potius, quàm à Muſis aut aliquo numine excitantur ad ſcribendum) quanta illi laude, quanta admiratione digni ſunt, qui cum ad commodum communis humanæ ſocietatis: tum multo magis ad gloriam Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti, Diuorumq; laudes, ſtudium omne ſuum, atq; ingeniũ contulerunt. Quod enim prçclarius argumentũ? aut nobilius? quàm quod ſingularem ingenij gloriã oſtendit, pari cũ pietate & uirtute coniunctã? quid aũt homine dignius, quã talentũ illud quod acceperit multiplicata mercede eidẽ à quo acceperat, Deo grata animi pietate uelle (quoad quidem homini licet) reddere? Quod quidem egregie præſtitit uir ille nobilitate, uirtute, ſapientia, eloquentia longè hac ætate admirabilis Actius Syncerus Sannazarius: & pari uirtute, religione, ingenij maieſtate præditus M. Hieronymus Vida: qui diuina ſua ingenia non ad res prophanas & ludicras: ſed ad Dei Opt. Max. & Domini noſtri Ieſu Chriſti laudes & gloriam conuerterũt. Atque his quidem eam ſunt illi gloriam conſecuti, quam olim in longa poſteritate excepturi ſint omnes anni conſequentes: ut nullũ profectò nobis debitum referendæ gratiæ reliquerint locũ. Sed Deus ipſe, Deus ille cuius adflati numine tam docta, tam ſancta, tã nobilia poemata cecinerunt, qui etiam unus gratiã ac præmium talibus meri-

tis

tis referre dignum potest. Sicut & M. Antonio Flaminio, & nostro Eobano Hesso, uiris immortalitate dignis: & eis omnibus, qui pia in Christum mente diuinas res, quæ omni orationis ornatu hactenus atque etiam dignitate caruerunt, dignum opus arbitrantur, in quo perpoliendo, ornando atque amplificando elaborent. Nā si non immerito laudantur, qui ingenio liberali atque animo præditi, cogitationes suas, citra alterius iniuriam, quoquo modo miserint in literas; ut cum prodesse studeant humanæ societati, tum ueræ laudis atque gloriæ, cuius optimus quisq; cupidus est, amore tangi uideantur: quanto magis amandi, laudandi, extollendi sunt, qui & ingenio omnium nostra ætate præstantissimi sunt & fuerunt, & pietate ac sapientia longè omnibus antecellunt? Atque his equidem exemplis incitatus, uel animatus horum potius atque inflammatus spiritu, aliquot Hymnos confeci, Ferdinande Rex: non quod illis parem laudem assequi me posse confidam: neque enim tam sum amens, ut hoc à quoquam præstari putem posse, nisi ab eo (quod iam fieri uix possit) qui illis ingenio atque eruditione sit quàm proximus, maximeq; similis: Sed ob hanc causam potius, ut quicquid ego possem, quod minimum esse sentio, in argumento pio ac liberali ostenderem: hominibusq; nostris quorum permulti ingenio & doctrina me superant, hanc quasi facem, & signū quoddam præferrem quo suas facultates ingenti cōferre & possint, & debeant. Nam cum nullæ

aliæ res sint digniores, in quibus ingeniosi homines elaborandum sibi ducant, quàm sunt sacræ atque diuinæ, de uita scilicet, de morte de dictis & factis memorabilibus Christi atque Diuorum, de immortalitate animorum, de præmijs atque pœnis cœlestium atque inferorum, cæterisque generis eiusdem, quis tandem mihi uitio uertat, si in quo ego tantum fortasse uolui, in eo alijs, qui melius possunt, facultatis suæ rationem, uiamque commonstrem. Optandum est enim esse quamplurimos, qui in hoc scribendi genere uersari, præclarum putent: ut res omnium pulcherrimas ita studeant illustrare, ut quæ omni hactenus ornatu caruerunt, & humanis propè inferiores fuerunt: eæ nunc demum diuinis pares, aut (si ita liceat dicere) superiores penè factæ esse uideantur, Tibi uero, Ferdinande rex inuictissime, hanc meam qualencunque operam dedico, cum multas ob alias causas, quibus nulli potius deberi uisum est: tum potissimum, ut qua ego maiestatem tuam, quà amplissimæ spe uirtutis liberos tuos obseruantia, cultu, studio, pietate prosequar, uel ob eiusdem etiam maiestatis tuæ erga me iampridem admodũ adolescentulum merita, tuamque illam clementiam: cui ne ad habendas quidem gratias, unquam esse par potero, hoc ex argumento liquidius cognosceres. Huc accedit, quòd si patronus huic lucubrationi nostræ quærendus erat, ut certe fuit, hoc præsertim tam maledico atque inuido seculo, quem ego te potiorem rex Ferdinande patronum eligerem? cuius maiestate tanquam

numinis

numinis quodam præſidio ſtare & tutus eſſe no-
ſter conatus poſſet. cuius præterea tot ſunt, &
tantæ uirtutes, religio, ſapientia, iuſtitia, fortitu-
do, clementia, integritas, fides, tantæ opes, tanta
maieſtas imperij, ea porrò erga doctos atque ſtu-
dioſos, & omnis bonos liberalitas, ut à fratre tuo
Carolo Auguſto, Imperatore Optimo Maximo
profecti, neminem habeamus, inter omnes noſtri
ſeculi reges quem tecum conferre poſſimus. Su-
ſcipe ergo Ferdinande rex inuictiſſime, hoc no-
ſtræ in te obſeruantiæ paruum pignus. quod nō
ex eo tamen metiri uelis: quod quantum iam po-
tuerim præſtare, tantum uoluerim tua cauſa: ſed
ex eo potius, quantum adhuc poſſim, aut certè
uelim pro tua maieſtate cum in hoc quidem ge-
nere ſcribendi, tum in cæteris ſtudijs atque offi-
cijs, ſi ſolitam erga me clementiam tuam non de-
feciſſe perſpexero. Vale. Ingolſtadij. v. Calen.
Septembris. M. D. XLIX.

IOANNIS PEDIONEI CONstantini, in Resurrectionem Christi Domini Hymnus I. ad Ferdinandum, Romanorum, Pannoniæ, Boemiæq; Regem.



VIS nouus hic rebus uenit uigor? unde repente
Hæc noua terrarum facies, cœliq;, marisq;?
Anne sator rerum, summiq; æterna Tonantis
Progenies Orco terras repetiuit ab alto?
O lux immensum meritò ueneranda per orbem.
O nox perpetuo longè memorabilis æuo:
Hac Deus ille Erebi perrumpens claustra profundi
Tænarias adijt fauces, perq; horrida Ditis
Regna pios Manes æterna à morte reduxit:
Et uictor superas cœli reuocauit in auras.
Quæ tantam ullius meruit uictoria laudem?
Ille quidem nullis hominum comitantibus armis,
Tormentis sinè, flammiuomo sinè fulmine belli
Tartara per, mediasq; uias Acherontis amari,

(Nec

(Nec uis ulla uetat, nec firmæ adamante columnæ)
Vicit ouans, tristeisq; animas, regemq; tremendum:
Scilicet & totum nutu tremefecit Auernum.
O nox illa die media formosior, ò nox
Qua pater inferno reduces à carcere mortis
Restituit Manes, cœliq; uocauit in arces.
O uos felices Manes, felicia tecta
Qui colitis, Solemq; ultra, Lunamq; uidetis
Cœlicolûm regem. cum maiestate sedentem,
Augustum, ingentem, qualis non cernitur ulli
Mortali, uobis sed quantus cernitur unis.
Vndiq; quem circum proceres funduntur Olympi,
Agmina tot: uosq; agminibus simul addita cura
Victori alternas resonatis carmine laudes,
Carmine, quod ueniens non ulla redarguat ætas.
Felices, iterumq; boni, uos illa manebunt
Gaudia, quæ nullæ fatorum euoluere luces,
Nec poterit uis ulla futuri extinguere secli.
O ueneranda dies, ò toto pulchrior æuo
Alma dies: hac CHRISTVS ouãs Acheronte remissus
Perruptis Erebi claustris, spolia illa reducit,
Atq; triumphans euicit Tartara regnis.
Illa dies cunctis lucet formosior annis,
Qua repetit superas terrarum conditor arces.
Impia quem nuper, furijsq; agitata nefandis
Impia gens ausa est crudeli immittere letho.

Prô

Prò scelus, hoc nullis luerit gens impia pœnis:
Hoc poterit nullo deleri dedecus æuo.
Túne patrem rerum, diuumq;, hominumq; potentem
Impia gens uerbis audes onerare superbis?
Quem nutu uiolare nefas, hunc scilicet ausis
Corripere? & sacrum manibus contingere corpus?
Nec satis, opprobrijs certant illudere capto
Infandis, uinctumq; trahunt ad uerbera regem.
Nunc capiti innocuo diram imposuisse coronam,
Nunc iuuat æratis immittere uulnera clauis,
Imbuere & terram, & sacrato saxa cruore.
Quinetiam (ô tanto neu desint ulla furori
Supplicia) ad mortem uesana mente reposcunt.
Tunc miserata suum deflerunt omnia regem:
Tellusq;, tractusq; maris. tunc æthere in alto
Cœrulea mœstos texit ferrugine uultus
Astrorum decus: & mœrentia sidera cœli
Cuncta ferunt testata suum sub nube dolorem,
Atq; animas flenteis imis exisse sepulcris,
Complesse & pauidas querulis ululatibus urbeis.
Ipse sonans horrendum immenso gurgite pontus
Murmure compleuit terras, & murmure cœlum,
Horrisonoq; animas strepitu stupefecit aquarum.
Tunc ipsi montes, ipsæq; è montibus orni,
Ipsæ etiam rupes, ipsiq; è rupibus amnes,
Ipsa adeò in syluis dicuntur corda ferarum.

Aubea

Autorem luxisse suum. mœstißima tellus
Tunc etiam uictum renuit mortalibus ægris:
Ipsa suos mœrens fructus non extulit arbos:
Nullæ tunc aruis segetes, nec collibus uuæ:
Arebant herbæ: nullis tunc gratia rebus:
Nulla suo mundi facies depicta colore.
At postquam rediјt deuicto Acheronte superbus
Ille sator rerum, superisq; ostendit amicum
Os, oculosq́;, suum rebus Natura uigorem
Reddidit, ipsa nouis gaudent elementa figuris:
Ipse nouum decus omnipotens ostendit Olympus:
Quæq; diem, noctemq; regunt pulcherrima mundo
Lumina, quæq; alto uoluuntur sidera cœlo.
Quinetiam ipsa suos posuerunt murmura questus.
Et nunc læta maris plaudunt ad littora fluctus
Autorem rediјsse suum: quodq́; ætheris alti
Regna tenet, quodq́; in terris genus omne uagatur
Alituum, pecudumq́; simul, pelagoq; natantum.
Ipsi etiam insolitas tollunt ad sidera uoces
Aërei montes: ipsæ iam carminærupes
Læta sonant, redduntq; suos nemora auia cantus.
Nunc tandem incipiunt (uates ut Tityrus olim
Prædixit) uerè magni procedere soles:
Nunc ridet tellus, nunc est pulcherrimus orbis:
Nunc florent segetes, nunc frondeis explicat arbos:
Quin & odoriferæ crescunt in palmite gemmæ:

Et nunc illa nouo ſurgit gens aurea mundo.
Occidit & ſerpens, & diri gramen Auerni
Occidit, ambroſium tellus feret omnis odorem.
Inuidiæ ſtimulis, furijsq́; ultricibus acta
Peſtis, & horrendæ cecidit iam bellua Lernæ.
Nunc inter rigidos errent armenta leones
Tuta licet, nunquam metuent armenta leones:
Cumq́; lupis paſcant teneri ſub matribus hœdi,
Nulla dabunt hœdis illi, nec damna capellis.
O decus & totum ſemper celebranda per orbem
Sancta dies, mundi ille nouus qua uertitur ordo,
Quaq́; ſalus hominum generi, rebusq́; paratur:
Te duce, ſi qua manent ueterum commiſſa malorum
Irrita conuerſas luſtrabunt crimine mentes.
O decus, & cunctis lux ò formoſior annis:
Túne patrem cœli, terris tun illa dediſti
Gaudia, quæ nonulla priorum ſenſerat ætas?
Illa manent terras, cœlumq́; æterna manebunt
Tot bona, quæ pleno ſecum uehit aurea cornu
Copia, nec ueniens uis ulla exhauſerit æui.
Certa fides, uidére indigna à morte reductum
Illa indigna ſimul tetigerunt uulnera dextra,
Et certum uidere Deum, agnouere magiſtrum
Delecti Heroes, uidit ſimul optima mater,
Et licuit notas audire, & reddere uoces:
Vidit & ipſa ſuum felix natura parentem:

Mortales, superiq; suam uidere salutem,
Hauseruntq; pium firmato pectore numen.
Victori inde tibi celebrant de more triumphos,
Et noua perpetuis indicunt gaudia seclis
CHRISTE pater mulcentq; pijs tua numina uerbis:
Ipse feras pater auxilium miseratus ab alto.
   Aspice, quàm miseris hoc degitur artibus æuum.
Hinc furor, & belli rabies uesana fatigat,
In sua iamq; ruunt cognatæ uiscera gentes
Ignaræ lucis ueræ, & rationis egentes.
Nullus amor studijs, nulli uirtutis honores
Viuitur hæc ætas magnæ nil indiga laudis,
Nec solidæ uirtutis amans, iacet omnes honesti
Et ratio recti, resolutaq; claustra pudoris.
Ipsa etiam pietas cum relligione laborat
Hinc odijs, illinc sæuis exercita curis.
Dum sibi quisq; sacras huc illuc flectere leges
Ius putat, & ueterum uestigia fida relinquunt.
Intereà nostris incumbens mœnibus hostis
Persequitur cineres crudelis & ossa piorum:
Europa atq; Asiæ uictor, totaq; subacta
Quæ quondam nostras non ultima Græcia leges
Obseruans uerum CHRISTI retinebat amorem.
Nunc etiam (miserum) nostræ mediam occupat oram
Pannoniæ, Illyricosq; sinus nunc territat armis:
Impius & cunctis insultat sedibus hostis.

Nece

Nec tamen hinc animi fœda exaturata libido est:
Quin cupiat totam cũ CHRISTO excindere gentē.
Hoc saltem pater, hoc nostris da dedecus armis
Præripere. en magni pia munera Ferdinandi,
Regis Romani, quo non præstantior alter
Iusticiam, & sanctæ seruat pietatis amorem:
Felicem tanta Heróum quem prole parentem
Auxisti magno imperio, populisq; potentem
Innumeris, comitem fratri, sociumq; regendis
Rebus ad alta uocans uictoris sceptra Quirini.
Da pater ingentem pharetrato ex hoste triumphum
Diuinamq; feras meritis super æthera gentem.
Austriadûm. regere alme tuis sub legibus orbem
Quemq; rubens Aurora premit, quemq; Hesperus ingens,
Fas illis, pater hoc nostris, precor, annue uotis.
Hinc scelera, & nostræ deleri crimina uitæ
Da pater: ut cunctis exacto tempore curis,
Mortaliq; animos penitus compage soluti
Felices tecum in stellautia regna recepti
Dulcia promissi capiamus gaudia cœli.

AD CHRISTVM Optimum, Maximum, pro Ferdinando Romanorum Rege. Hymnus II.

SVmme pater Diuûm, magni regnator Olympi,
Humaniq; salus generis, quem cuncta tonantem
Terrarumq́;, marisq́; tremit cœliq; potestas,
Aspice me: tua dum supplex altaria uotis,
Muneribusq́; colo, & solennem lætus honorem
Persoluens animumq́; tibi, mentemq́; sacraui:
Da tantum, placidusq́; pijs pater annue uotis.
Insidias auerte graues, irasq́; meorum,
Quodq́; potes, populi insani compesce furorem.
Qui spreta penitus pietate, & fœdere rupto
Insontem infando tentant euertere bello.
Vndiq; tela manu rapiunt, sæuum undiq; martem
Exercent, uacuantq́; suis cultoribus agros.
Nulla quidem culpa est, nec tanti causa furoris.
Nullum in rege nefas, duri uis nulla tyranni:
Te coluisse nocet ueterum de more parentum:
Vna hæc culpa mea est, cunctorum ea causa malorum.
Et nisi, quæ tua cuncta potest, uis magna resistat,
Adseruetq; pios uindex, sontesq; repellat,
Exitium regiq; parent, generiq; ruinam.
Quem si fata ferunt casum, si hic uoluitur ordo
Fortunæq; Deiq;, tamen super omnia coniunx
Felix morte sua est: felix ne dira suorum
Funera. & immiti prostratos sorte penateis
Aspiceret, ne quæ tanto olim coniuge, tanta
Prole uirens heu tam subitum est experta dolorem.

Hoc

Hoc tamen, ô pater, hoc prohibe, sed fœda malorum
Consilia, irarumq; faces, belliq; tumultus
Aspice: nec tantum uulgi trepidantia corda.
Ipsi quimetiam ciues incendia miscent:
Illi addunt animos, illi impia tela ministrant,
Consilijs quos ipse meis, rebusq; gerendis
Præfeci, & regni comites in parte locaui.
Nulla fides, simul immemores regiq;, tuiq;
Heu miseræ tendunt in dira pericula gentes.
Tu pater omnipotens nostris hoc dedecus armis
Deijce. nil ingens illis occasio prosit,
Qua freti scelerum artifices infanda requirunt
Dum fratrem procul hinc alius iam detinet hostis
Augustum, nutu Hesperias qui temperat arces:
Hinc atq; hinc ambo fœdisq; lacessimur armis
Nostrorum. sed sceptra iuuet cepisse Latini
Imperij, atq; tua fratres hæc munera dextra:
Hæc saltem pater, hæc dederis non irrita dona.
Haud equidem mihi diuitias, nec debita posco
Victori spolia, aut mentem crudelia tangunt,
Quorum alia ex alijs cumularunt damna merentes:
Sed tibi summe parens spolia illa ex hoste superbo,
Victoriq; feram uictor solennia dona.
Non tantum solido templum de marmore ponam,
Nec tibi sola pias fumabunt tura per aras,
Aut centum niuea procumbent fronte iuuenci:

Plura feram, maiora feram: tibi iura, tibi arteis
Egregias, tibi perpetuos pietatis honores,
Addictasq; hominum menteis, animosq; sacrabo.
Augusto cum fratre feram tua signa per omneis
Terrarumq;, marisq; uias. tunc inclyta bello
Auspicijs, opibusq; tuis Germania coelo
Extollet caput, ac domitum regina per orbem
Vni cuncta tibi populorum templa dicabit,
Arma tibi, pacemq; geret, tibi seruiet uni.
Tantum quæ miseros uexat discordia ciues,
Et scelerum malesuadus amor, uisq; illa malorum
Impia, & in proprias clades sumpta arma quiescant.
Da pater hoc, facilisq; meis allabere uotis.

IN DIVVM IOANNEM EUANGELISTAM HYMNUS III. ad Amplissimum Principem Christophorum Cardinalem Tridentinum.

NVnc te Diue canam, latè quem regia cœli
Bissenos inter proceres, sanctumq; Senatum
Accipit æterno ingentem uirtutis honore.
Diue decus cœli, uates lectissime uatum
Huc ades, humanasq; pater ne despice laudes.

Mortali

Mortali mihi fas decora immortalia cantu
Tangere, & è multis saltem hæc tua dicere facta,
Nam quoi te uatum meritis attollere uerbis
Fas erit? hancúe suam capiti sperare coronam?
Ille quidem si multa ferat, si maxima dicat:
Plura tamen referenda tibi, & maiora supersint.
Seu generis memoranda tui primordia iam dicam,
Zebettumq; senem, Iessææ ab origine stirpis,
Felicem gemina Diuorum prole parentem:
Seu potius moresq; pios, mentemq; benignam,
Et placitum sanctæ tibi uirginitatis amorem:
Ne tibi quis superûm certauerit, omnia cedant
Secla, nec inuideant tantæ tibi præmia palmæ.
Ille tui pater omnipotens ardebat amore:
Illius ardebas ingenti unius amore;
Huic soli studiumq; tuum, mentemq; sacraras.
Ergo quod optanti regum promittere nemo
Audeat, hoc Deus ipse tibi mox attulit ultro,
Et uexit pleno secum bona Copia cornu.
Nanq; sub immenso lustras dum cuncta profundo,
Squamigerosq; trahis cum fratre ad littora pisces
Multa putans animo, multumq; in corde uolutans:
Ecce autem subitò ex oculis caliginis atræ
Nox abit, ingenti pariterq; in luce refulsit
Aetherei iuuenis magnum patris incrementum:
Os, humerosq;, oculosq;, manus, uocemq;, coloremq;,

Omnia diuino ſimilis decora alta parenti.
Hunc tu,nec potis eſt animum uis ulla tenere,
Hauſiſti cum fratre pio,& uix uoce uocatus
Vſq; hæres lateri affixus. hunc ſcilicet unum
Miraris,hunc unum oculis,ac mente ſerebas.
Nec temerè eſt uiſum. nam qui modo littora circum,
Piſcoſos circum ſcopulos errare ſolebat,
Qui uix antè rudes paſtorum inflare cicutas:
Nunc regem canit æthereum,ſobolemq; Tonantis,
Tergeminumq; uno memorans in numine nomen
Magna uoce ſonat,diuinoq; ore ſacerdos:
Vt tener his olim mundi concreuerit orbis
Auſpicibus,ut cuncta nouis elementa figuris,
Et picturati ſpacioſa uolumina cœli.
Tunc hærere polo alias,aliasq; uagari
Iuſſerat omnipotens æterno ex ordine luces.
Tum canit obliquos Phœbi, Phœbesq; labores,
Et totum gemina luſtrari lampadè mundum.
Nec minus & ſedeis aperit ſtellantis Olympi:
Aligeros addit iuuenes,additq; beatorum
Agmina , totq; choros animarum morte carentum,
Gaudiaq;,ſtrepitusq;,uoluptatesq; recenſet.
Tum uerò ut magno genitor commotus amore
Humani generis,propriæ quod crimine culpæ
Paulatim præceps in Tartara ſæua ruebat:
Clauſerat atq; ultro promiſſi limina cœli.

Ergo

Ergo pater multum miserans incommoda nostra
Vnigenam misit prolem, quæ cuncta piaret,
Atq; Deum iussit mortalem assumere formam.
Ille quidem summo quanuis genitore creatus,
Quanuis uera Dei soboles, quanuis Deus ipse,
Induere humanos nunquam fastidijt artus,
(Tantus amor nostri) cœlo descendit, & olim
Intactæ grauidam est dignatus uirginis aluum:
Prodijt in lucem puer, & mox iussa parentis
Edocet, & cunctis quæ sit sententia rebus.
Multa etiam admiranda tuarum maxime rerum
Facta canit, uel quæ audierat, uel uiderat ipse:
Vt tua depositos curârit dextera morbos,
Ignemq;, horribilemq;, famem, lymphamq;, luemq;:
Viderit ut Bacchi in laticem se fertere fontes.
Quodq; magis dictu, magis est mirabile uisu,
Viderat, ut supera spoliatos luminis aura,
Et uita expulsos penitus tua dextera uitæ
Reddiderit, cœliq; potens reuocarit in oras.
Mox etiam diræ narrat fera crimina gentis,
Indignamq; necem, dum concidit altus Olympi
Rector, & amissum testantur sidera regem
Et tellus tremefacta, & conscia machina mundi:
Testanturq; suum turbata elementa dolorem.
Hinc pater ut Manes Orco reuocauerit alto,
Felices Manes, cœlique ad lumen ituros:

 Omnia

Omnia diuino quondam quæ carmine uates
Nequicquam ingratas genteis docuere futura.
Mox ut ouans spolijs uictor remearit opimis,
Vtque Deum Deus, æthereasq; petiuerit arces,
Ingensq; ingentem ascensu superârit olympum.
Inde iterum fore, cum terras sua regna reuiset,
Qualis ait, quantusq; solet cœlestibus ipsis
Spectari: tanta cum maiestate sedebit.
Vndique quem cœli stipabant agmina circum
Fulgentem in medijs, sceptro insignem atq; corona
Stelligera, ingenti: tum mores undique discet
Quæsitor: tum facta hominum, tum dicta notabit
Omnia. quo sontes explebunt iudice pœnas,
Damnatiq; Erebum manes mittentur ad imum
Quos Furiæ ultrices scelerum (miserabile uisu)
Aeternam in pœnam non una peste sequentur.
Nec mors ulla ferum poterit finire dolorem.
Ast alios secum lætos super ardua ducet
Astra pater, meritum regi pæana canentes,
Victori immanisq; Erebi, Noctisq; profundæ.
Hij quondam in terris dum fas, & fata sinebant,
Vixere ignari scelerum, culpamq; perosi
Quæ nimis ab cæca uersant caligine mentes.
Hæc, & plura canit diuino ex ore sacerdos
Iusticiam, ac ueræ spargens pietatis amorem
Per genteis, monitisq; preces immiscet, & omnes

Enumerat rerum diuerso ex ordine causas.
Panditur ex templò nebulis per inane remotis
Relligio ad portas ducens bipatemis olympi.
Impia quæ sacris gens est operata nefandis
Præcipitans miseros horrenda in Tartara Maneis,
Illa prophanatis tandem pelluntur ab aris.
Felix ante alias Asiæ prædiuitis ora
Quam magnus rapidi secat impetus Hellesponti:
Felices illo diuersæ in littore gentes:
Vos quoq;, uos Ephesi qui mœnia pulchra tenetis,
Impia quos falsæ luserunt sacra Dianæ
Olim, nunc tanto læti super omnia uate.
Vosne uiri sanctas hausistis pectore uoces?
Vobis diuinæ patuere oracula mentis?
Et pietas subito manifesta in luce refulsit?
Ille quidem adflatus cœlesti numine uestros
Restituit mores, atque in meliora uocauit.
Ille dedit leges, sanctas ille extulit artes,
Quas subitò innumeræ coluerunt undiq; gentes,
Quasq; colent olim grati, referentq; minores.
Scilicet antè ruent conuexi pondera mundi,
Antè etiam pelagus siccis damnabitur undis,
Cuncta trahent seuam potius collapsa ruinam:
Quàm cadat æterni diuina potentia uerbi.
Non igitur quisquam meritis certauerit unquam
Diue tuis: tantam aut speret per secula palmam

O Zebettiade

O Zebettiade Heroum lectiſsime, & inter
Diuinos longè præſtanti nomine uates,
Ore potens, calamoq; potens. Tu maximus ille es,
Princeps qui nobis ſcribendo reſtituis rem.
Ipſa tibi eloquij concedit Græcia palmam,
Terrarumq; tibi & rerum pulcherrima Roma.
Nec iam uana ſuum miretur Thracia uatem:
Seu quoſcunq; dolo cecinit mentita uetuſtas.
Tu magno eloquio, uatum certiſsime uates,
Monſtra domas, tu ſaxa rapis, tu corda ferarum,
Tu mare fluctiſonum, tuque aurea ſidera cœli,
Mortales, ſuperoſq; æterno carmine mulces,
Carmine perfidiæ quod nulla redarguat ætas.
Quantum quæ rapidas cœli contendit in auras,
Nubiuagaſq; relinquit aueis per inane uolando
Alituum regina, atq; æthera luſtrat apertum:
Tantùm alios ſuperas diuinæ munere linguæ,
Quicunq; immenſi uerbis oracula CHRISTI
Prodiderunt, aut qui egregias docuere perarteis.
Te non immeritò tantarum in munere laudum
Rex tuus ante alios miro dilexit amore.
Ipſe tibi moriens ſuprema uoce parentem
Commendat, tibi reginam cœliq;, mariſq;,
Virgineumq; decus pro uirginitate dicauit.
Ipſe pater numero è tanto te ſcilicet unum
Exortem cædi uoluit ſupereſſe nefandæ.

In te nihil miseri potuerunt iussu Tyranni
Impia, crudeleis domuisti Cæsaris iras.
Ille quidem, nequid culpæ sceleriśue fuisset
Intactum (neq; enim percibuśue, miniśue mouetur
Mens inuicta, nec egregijs abducere coeptis
Est licitum, ipsa sui quando fidißima CHRISTI)
Ardenti imposuit te oleo spumantis aheni,
Supplicij genus, ac rapidis absumere flammis
Apparat. at flammæ innocuæ sedere, nec ulla
Visq;, dolorq; sacrum ualuit contingere corpus.
Maior agit Deus, atque opera ad maiora reseruat:
In quibus extremos comples feliciter annos.
Nunc tamen exutus mortali corpore cœlum
Incolis, atq; ultra nubeis, supraq; micanteis
Astrorum fulges radios, ubi maximus inter
Sidereos Heroas, & agmina læta piorum
Præcipua ingentem meruisti laude coronam.
Te polus, & uasti mirantur pondera mundi,
Sub pedibusq; tuis famulantur sidera cœli,
Luna micat, micat astrorum pater auricomus sol.
Omnes te medium Diui comitantur euntem,
Bissenos quos ipse pater sibi legerat olim
Tantorum comites operum: quæque æthere in alto
Felices superant animæ, & sine crimine uiuunt
Expertesq; metus omnis, ac morte carentes.
Salue inter cœli proceres memorabile numen

Magne

Magne pater, uatum salue sanctißime uates.
Nam tua quis speret facta immortalia uoce
Mortali, atque illas humano carmine laudes
Tollere? nunc saltem nostras ne despice uoces:
Siquis amor nostri generis, si cura tuorum,
Accipe dum sanctis humiles aduoluimur aris
Vota damus, meritumq; pij renouamus honorem.
Aspice nos cœliq; patrem de parte serena
Siste uolens, facilem nostris & reddito uotis:
Quodque potes, meritas præsta pater exuat iras:
Ipse feret deinde auxilium miseratus ab alto.
Ergo agè magne pater placido nos respice uultu,
Vultu qui terras, mare, nubila temperat, alti
Et quæcunq; poli, tibi nunc pia uota precatus
Solennes peragit supplex noua festa per aras
Matrucinæ æternum gentis decus, inclyta Roma
Quem rebus iuuenem accepit templisq; regendis,
Addens principibusq; uiris, sanctoq; senatu:
Demissum cœlo iuuenem, & uirtutibus auctum
Eximijs, ueræq; ardentem laudis amore
Hunc audi: meritisq; uolens aduertito numen
Summe pater, sobolesq; patris, uigor edite cœlo
Omnipotens, qui cuncta uno sub numine rerum
Ponderaq;, motusq;, uicesq;, & iura tenetis:
Sit satis ô superi uestris decora addita regnis,
Erepta Ausoniæ longè fulgentia genti

Lumina,

Lumina, te Sadolete animo & præstantibus ausis
Inclyte, & æterno florentem nomine Bembum:
Qui quondam eloquio, & diuinæ munere linguæ
Terrasq;, & mare raucisonum, atq; liquentia mundi
Regna, hominesq;, ferasq; pijs inflectere uerbis,
Qui poterant tristi depellere nubila cœlo,
Horrida nimbosi mulcentes æquora ponti:
Nunc uestras Superi placabunt carmine mentes.
Hunc saltem rebus iuuenem succurrere fessis
Nutantis simul imperij, secliq; labantis
Fas uestro auxilio superi: fas numine uestro
Iusticiam, sanctæq; pium uirtutis amorem
Conserere, & meritos longè pietatis honores
Tollere per gentes, cunctisq; immittere terris.
His illum studijs, & uera laude nitentem
Dirigite, & summo totum conuertite cœlo.

IN DIVAM MAriam Magdalenam Hymnus IIII. Ad amplissimum Principem Othonem VValpurgium Augustanum Cardinalem.

TE quoq; Nympha cano, pura cum ueste sacerdos
Dum tua solenneis indicit festa per aras,

Instauratq;

Instauratq; nouis supplex altaria donis.
Nympha decus cœli, magnis comes addita Diuis,
Cura patris summi ò pulcherrima Magdalene
Huc ades, & nostras facilis ne despice uoces.
Et nunc, siue pedes magni seruare Tonantis
Cura datur, seu tu dominam comitaris olympi,
Quæ tecum usq; suas confert fidißima curas:
Siue choros agis æthereis immixta puellis,
Dum patris ingenteis resonatis carmine laudes
In numerum blanda mulcentes sidera uoce:
Seu quicunq; locus, seu quod tibi muneris olim
Sorte datum, magnas inter decus Heroinas
Nympha micas: nunc has saltem neu despice parteis,
Hos etiam cultus longo post tempore uisos,
Hoc tibi quos diues quondam Constantia templo
Instituit: ueterum quæ nunc monumenta parentum
Hos reuocat ritus, atq; hæc tibi sacra quotannis
Indicit, tibi tura parat, tibi lumina centum.
Stant tria solenni sacrata altaria ritu,
Dum canit & purus uates, & lecta iuuentus,
Alterniq; tuas tollunt super æthera laudes.
Quas pater Acromius, patrioq; in gurgite Rhenus
Roranteis imo tollens è marmore uultus
Excipit, auditasq; ferunt ad littora fluctus:
Ipsa audis, præsensq; faues, nec cerneris ulli.
Nec mirum sceleris miserantem incommoda nostri

Te uotis mulcere patrem, ueniamq; precari:
Haud ignara mali miseris succurris amicis,
Atq; animum fessæ tangunt contagia culpæ.
Sed dolor, & pietas, & plenum pectus amoris
Immensi induxit ueteris fastidia culpæ.
Tunc tibi mens alti patefecit limina cœli,
Et superum regem manifesta in luce reclusit.
Hic tum magna patris peragens mandata Tonantis
Verus homo in terris, uerum quoq; numen agebat,
Curabatq; animos, & corpora fessa labore:
Accedis (facit audacem pietas, simul ingens
Mente dolor) da summe Deus, tua numina posco,
Da pater omnipotens saltem hoc mihi munus amanti,
A me, quicquid adest ueterum de labe malorum,
Quæ me cunq; premunt furiæ, pœnæq; recedant:
Da ueniam pater hanc, oro, miserere fatentis
Neu peream, tua sim potius, tua dicar in æuum.
Hæc effata simul manibus pia pectora plangis,
Ora simul largo lacrymarum fonte rigabas,
Vsq; sacros amplexa pedes, genibusq; uolutans,
Multa gemens imo ex animo suspiria ducis:
Nunc ungis, lacrymisq; lauas, tergisq; capillis
Ore deum testata, deum testata dolore.
Ille tibi ueniam miseræ concessit amanti.
I, modo neu recidas ultra, potiere rogatis:
Do ueniam: tua te, mulier, tua maxima cœlo

Restituit pietas, diraq; à morte reduxit
Aeternum memoranda fides, tum pectoris ille
Rarus amor. simul hæc dicit, simul impia pellit
Monstra fugans, animoq; leuans & corpore pestem
Abluit antiquæ remouens uestigia culpæ.
Tempore iam ex illo toto tibi pectore cesit
Pestis, & atra lues, & sæuæ flamma chimæræ.
Illius ardebas etenim tu unius amore
Cœlicolûm regis hunc uirgo protinus unum
Præcipitante die pariterq; oriente tenebas
Atq; animo, atq; oculis, atq; imo pectore fixum.
Ille etiam ante alias rex te dilexit amore
O uirgo, quæcunq; Dei præcepta sequentes
Sunt ausæ & mundi fastus contemnere inaneis
Ac sibi præcipuam capiti sperare coronam.
Ille tuæ exoptanda dedit mandata sorori,
Ille tuum fratrem lethæa in morte iacentem
(Mira fides) iusit tumulo decedere terræ
Incolumem, & superas cœli reuocauit in auras
Cantantem Diuos, & numina uoce uocantem
Ingenti, & CHRISTI magnas super omnia laudes.
Ex quo plena Deo, cœlesti numine plena
Vsque hæret sacro lateri fidißima custos.
Vt pia, quæ casus patrem comitatur in omneis
Filia, seu mater metuens caro omnia nato.
Illius hinc audit præsens & maxima dicta,

Factaq;

Factaq́;, nonunquam quæ uisa prioribus annis.
Quin ultra ſortem generis fortißima uirgo
Auſa ſequi regem fraudes euaſerat omneis.
Quum gens irarum ſtimulis agitata nefandis,
Impia gens auſa eſt dominum ſtellantis Olympi
Et capere, & capto diris illudere uerbis.
Tunc etiam (tanto neu deſit pœna furori)
Verbera uerberibus cumulant, ac uulnera miſcent
Vulneribus, ſacraſq́; manus, illoſq; uerendos
Sunt auſi fœdare pedes: quibus ardua cedit
Quæq; premit nutans immenſum machina mundum.
Auſi etiam infando (miſerum) demittere letho,
Qui mare, qui cœlum propria uirtute creauit,
Quiq; dedit cœli lumen mortalibus ægris,
Quadrupedum generi, ac bipedum, pelagoq; natantum.
Omnibus his perſtans interfuit, omnia uidit
Illa oculis, uocem ſupremamq; auribus hauſit:
Ora modis uidit Domini palleſcere miris
Ingratam uitæ lucem ſub fine trahentis.
Prima Deum inferno uidit Phlegethonte remiſſum,
Pallentis uictorem Erebi, Noctiſq; profundæ.
Vidit & ora Dei miro ſplendeſcere cultu,
Illa etiam uidit lucem diffundere amœnam
Lumina purpurea radiantis imagine Solis:
Sidereos uultus, maieſtatemq; ſerenam
Agnouit, primaq; tulit mandata parenti,

Delectisq; uiris, tristi qui funere regis
Deiecti occultas petierunt antè latebras:
Omnia tunc etiam secum miseranda putabant:
Nuncia cum lætis impleuit pectora uerbis
Terroremq;, metumq; animis discusserat omnem.
Sic ubi densa cadunt magnum per inane uoluta
Nubila, cum faciem nox abstulit horrida mundo:
Per genteis ingens oritur pauor, omnia torpent
Pectora. dum roseum spargit iubar auricomus Sol,
Flagranteisq; aperit uultus, cœlumq; reducit,
Per genteis humilis cecidit pauor, omnia gaudent
Pectora, nam fœda exuitur caligine mundus.
Iam quid adhuc memorem reliquas ex ordine laudes,
Iusticiamq; fidemq; Deæ, moresq;, pudoremq;?
Illum aut mirandum immensæ pietatis amorem
Quid referam? tu Diua mone, tu noster Apollo
Auia tentanti uatum loca dirige gressus
Sancte pater: nunc alta uirum uolitare per ora
Da pater, huius amor me uirginis, & decus ingens
Corripuit. petijt quando aurea regna parentis
CHRISTVS, & in clara stellarum luce refulsit:
Tunc uidere polo medio discedere nubeis
Auricomas, totoq; decus diffulgere cœlo.
Qualis sæpè nitens & uersicoloribus alis,
Cum rapidus summo currum Sol librat Olympo,
Scinditur aduersas Iris spaciosa per Arctos.

Tunc

Tunc Deus, ecce Deus cunctis apparuit ingens.
Læticiamq;, metumq; ferens. nanq; æthere ab alto
Ille Deus niueæ descendit more columbæ
SPIRITVS. Heroum penitus calefacta timore
Corda sacro, furor illud erat, furor undiq; Diuum
Attonitas mentes stimulis impleuit acutis.
Vidisses uarios oculis errare colores,
Ardenteisq; uirum uultus, sparsosq; capillos:
Audisses uarijs sermonum dotibus auctos
Admiranda uiris, & grandia uerba sonare
Eloquio ingenti, & diuinæ fulmina linguæ.
Tunc etiam cœlo signum præstantius alto
Dat pater, horrendumq; tonant uasta atrià mundi
Nutantis, uox illa imperdita fertur ad aures.
Hæc mea progenies (summo natumq;, patremq;
Aethere prospectant, uitæq; insignia nostræ
Hastam, quadrifidamq; crucem, immanemq; columnam,
Spiculaq;, clauosq;, & pallia nota, coronamq;)
Hoc decus, hæc æterna hominum, diuumq; uoluptas:
Ite, ait, illius totum monumenta per orbem
Spargite, uirtutum memores uitæq;, necisq;.
Hunc metuant, primisq; Deum uenerentur ab annis.
Tunc demum nouus ille ordo procedere rerum
Tunc magno incipiet gens aurea surgere mundo.
Hic firmata nouis attollunt pectora uerbis
Heròes simul attoniti, simul Heroinæ:

In quascunq; uocet terras, quæcunq; pericla
Omnipotens, inuicto animo procul ire parati.
Nec mora, per latas Asiæ prædiuitis oras,
Europæ, Libyæq; uolat noua Fama per orbem.
Quaq; diem roseo surgentem tollit Olympo,
Quaq; inclinantem Hesperias Sol urget ad undas,
Tolluntur CHRISTI ingentes super æthera laudes,
Dictaq;, factaq;, magnorum decora altaq; Diuûm.
Ipsa sed imprimis diuino pectus amore
Fœta, Deo plena, aucta Deo, sanctißima uirgo
Gallorum latas obeuntia flumina terras
Lustrauit, celerem Rhodanum, magnumq; Garumnam.
Quaq; Liger, qua rauca sonans in gurgite Varus
Labitur, & tumidis pelagi committitur undis:
Quaq; inter mediumq; iacet, solemq; cadentem
Maßilia excelsas ostentans eminus arces,
Vrbs ingens, antiqua, potens pecudumq;, uirumq;,
Diues agri: tanta iam ditior hospite cœlo
Maßilia egregium tollis caput. illa repentè
Illa salus generiq; tuo, rebusq; parata est.
Te docuit mandata ferens diuina puella,
Illa tibi clausum patefecit limen Olympi,
Ostenditq; patrem rerum, dominumq;, Deumq;.
Tergemino memorans æternum in nomine numen.
Illa prophanatis depellere iußit ab aris
Mendaces Phœbi tripodas, & falsa Dianæ

Sacra, Iouisq; dolos Stygij scelus omne retexit.
Tu ritus imitata nouos, noua templa dicasti
Cœlitibus, cœliq; patrem uenerata minores
Sacra doces longè seclis celebrare futuris.
Hic datur ingenteis laudati Principis actus
Cernere, qui cœlum, quiq; omnia condidit unus
Mille potestates rerum qui poßidet unus.
Hic etiam tua Virgo datur, tua maxima facta
Noscere per genteis populis memoranda futuris.
Tu uarias animoq; fugas & corpore pestes,
Quoq; potes solo depellis funera nutu.
Cernere erat longas subitò discedere febres,
Ignemq;, horrificamq; luem (mirabile dictu)
Canceris & lethale, ingens, miserabile monstrum,
Quod sensim irrepens, mox totos arripit artus,
Et longum excrucians infanda in morte relinquit.
Tu curas simul & tristeis elephantidos igneis,
Membra leuas atro paßim manantia tabo:
Quæq; uelut cœlo uibratum fulmen ab alto
Corpora per terras horrendo deijcit ictu
Dira lues, spumamq; premens ciet ore cruentam
Te fugit, & crudelis hydrops, te immane ueternum
Te turpes linquunt podagræ: te Nympha medente
Heu malè degeneres agitans uesania menteis,
Qua non ulla lues Stygijs caput extulit undis
Tristior, aut tantis urens cruciatibus artus,

Iussa tuis cedit manibus, furiasq; trementeis,
Infernosq; lacus, proauitaq; regna reuisit.
Iam uideo paßim cæcis sua lumina reddi,
Iam claudos iterum ualidis insistere plantis.
Quinetiam exangueis, ipsaq; in morte iacenteis
Et functos post fata extremæ munere lucis
Accipio reduces in pristina regna uocari
Exultim CHRISTO lætum pæana canenteis.
Talia qui per te manuum monumenta suarum
Rettulit, & cœli mortalibus auxit amorem.
Hinc te mille uiri ducentem Nympha sequuntur,
Mille nurus, iuuenumq; senumq; exercitus ingens.
Te reges, regumq; genus, populiq;, patresq;
Magna Dei tanto ingenio monumenta docentem
Obstupuere: tuas timuerunt Tartara uoces:
Contremuere imis immania monstra sub undis
Cocyti: ipse suis fatum illætabile regnis
Tartareus timuit Pluton. tua carmina terris
Audita & cœlo. totum miranda per orbem
Diffusa illa tuis manauit gloria rebus,
Virtutisq; tuæ manet indelebile nomen.
Quin ubi mortales terreni corporis auras
Efflasti, felicem animam comitantur ouantes,
Et tollunt dulci modulantes carmina uoce
Aligeri iuuenes, luduntq; per aëra læti,
Mulcentes superum blandis concentibus aures,

Donec

Donec sanctam animam gremio pater optimus aureo
Accipiens cœli fulgenti in sede locauit.
Vnde procul terras tanta sub mole iacenteis
Aspicis ò regina, comes dominæ ætheris alti,
Quæ tecum curas hominum miseratur inaneis.
Vos patris aßiduæ iustas auertitis iras,
Heu nimium quascunq; genus mortale meretur:
Horrida sanguinea molitus fulmina dextra
Iam uestris cedit precibus, nostroq́; dolori.
Saluete ò magni clarißima lumina cœli
Lunam ultra, solemq́;, & sidera cuncta micantes
O mater, matrisq́; comes salue inclyta uirgo.
Tuq́; patris decus, ò superúm intemerata uoluptas,
Nate Deo, Deus ipse, æternum in numine numen,
Salue ingens, immense, potens: terrasq́; benignus
Aspice, ne sceleris uertant fastidia nostri:
Sed placidus, mitisq́; precor, quo sidera uultu
Quo geminam lustras conuexi lampada mundi
Huc ades. en fidi sacrum tibi munus Othonis,
Cui das ritè tuas aras, & templa tueri:
Purpureos inter proceres, sanctumq́; Senatum
Fulgentem en longè insigni pietate ministrum.
Hic tamen (ô ingens animi dolor) aspice, fessus
Membra trahit longo uix iam spirantia morbo,
Qui nunc heú imas descendit ad usq; medullás
Languidulos miseris torquens cruciatibus artus.

Quis tibi, si pater (ò pater hæc tantum omina uertas
In melius) quis nanque tuas sic dicere laudes?
Quis tua sacra, tuos æquè celebrabit honores?
Ille quidem magnæ incensus uirtutis amore
Iusticiamq; fidemq; suis componit in oris
Austriadûm causas regum, tua signa secutus.
Adde quod huic cani nondum uenére capilli,
Nec tota expleuit septem modò lustra iuuentæ:
Cum tamen ab misero pergit succurrere seclo
Et reuocat pulchras sanctis cum legibus artes,
Indefessus opemq; pijs fert undique rebus:
Da genitor longum tandem discedere morbum,
Quod potes, hoc omnemq; fuga de corpore pestem.
Fas illi colere hîc multos tua sacra per annos,
Et sanctum celebrare tuum per secula nomen.

IN DIVAM CATHArinam uirginem Hymnus V. ad Clarißimum Principem Mauritium Huttenum Episcopum Eichstadianum.

LAudabunt alij Nymphas, & carmina dicent
Dijs alijs, falsasq; ferent sua munera ad aras:

Ipse

Ipse ego te regina, tuas attingere laudes
Ingenteis humili conabor carmine uates.
Huc ades ô Catharina, tibi dum sacra quotannis,
Solennemq; diem merito instauramus honore.
Et quamuis maiora alij tibi templa dicârint,
Reddiderintq; sacros spiranti in marmore uultus.
Hoc paruum tamen ô uirgo ne sperne sacellum:
Quod tibi relligionis amans, & bella perosus
Hac Bauarus quondam Lodoicus in urbe sacrauit,
Perpetuosq; tuis aris addixit honores.
Hic quicunque sacras animum excoluêre per arteis
Post habitis populi curis, & plebe relicta,
Te celebrant, primisq; deam uenerantur ab annis.
Hic solenne sacrum semper tibi, maxima semper
Munera sunt, neque desunt unquam carmina uatum.
Et quascunq; canit laudes præclara iuuentus.
Ipsa ades in medijs præsens, neque cerneris ulli:
Sed tacita usq; tuam perstringunt gaudia mentem:
Salue ô uirginei flos intemerate pudoris,
Salue sidereas inter pulcherrima Nymphas.
Non tibi, non temerè cœli domus alta reclusa est.
Ipse etenim quondam rex omnipotentis olympi,
Te uirgo ante alias magno dilexit amore:
Ipse suas artis, animum tibi tradidit ipse:
Et dedit insignem capiti gestare coronam.
Te quondam immanis potuit uis nulla tyranni

Vertere,

Vertere, tu ſpretis precibuſq;, miniſq;, pudorem
Seruaſti, & ſanctæ placitum pietatis amorem.
Te licet Aegypti non altera uirgo per oras,
Quá ſeptemgemini pingueſcunt flumina Nili,
Aut forma prior, aut regum de gente ſuprema
Nobilior, quamuis peterent connubia reges:
Sed neq; mortales tu unquam dignata maritos,
Sola Deo mentemq́; tuam, ſtudiumq́; ſacrâras:
Hac face flagrabas, hos optabas hymenæos:
Hos oculis igneis hauſiſti, hos pectore toto
Suſpirans oriente die, pariterq́; cadente.
Quid memorem quanto ingenio, quo fulmine linguæ
Auſa uiris quondam fueris concurrere uirgo
Intrepida, & dubios rerum diſſoluere nodos?
Te nunquam ullius uis, aut ſolertia fregit
Artificis. tu plena Deo, tu numine ſummo
Afflata humanos domuiſti protinus aſtus.
Te rex in media procerum ſpectante corona,
Te patres, populuſq; omnis ſtupuére loquentem,
Dum canis ætherei uates præcepta parentis,
Ac ueterum reſeras obſcura oracula uatum:
Progeniemq́; docens indigna morte peremptam
Teſtaris magno ore deum, ſuper ardua olympi
Aſtra deum, ſummoq; parem uirtute parenti
Immenſum, ingenti cum maieſtate regentem.
Hinc falſos aperis Diuos, & ludicra pandis

Numina

Numina, quæ ritu quondam uenerata prophano
Vana superstitio, ueræq; ignara salutis
Finxerat. illa procul castis depellere ab aris
Sacra mones, monitisq; preces innectis amicas.
Addis & extrema quondam sub luce futurum
Iudicium optandumq; bonis, longeq; tremendum
Sontibus: immanisq; Erebi illætabile regnum
Hos: illos cœli stellantia claustra manere.
Hæc canis admiranda uiris diuina puella
Tanta ui, tanto eloquio, ac dulcedine linguæ
Miretur quam Roma potens, mirentur Athenæ:
Multi etiam populo é medio, patribusq; uocati
Dicta tua in melius conuersa mente sequuntur.
Et ratio multis manifesta in luce refulsit.
Ceu Sol ignipotens radios cum lucis amœnæ
Diffundit laté, magnoq; superiacit orbi:
Nubila densa cadunt medium per inane uoluta,
Exuiturq; nitens fœda caligine mundus.
At quanquam iuuat, ó cœli decus, inclyta uirgo,
Et uoces audire tuas, atq; ora tueri:
Tanta tamen sæui furit inclementia regis,
Mens animi tantis irarum fluctuat undis,
Vt cupiat quouis iam nunc disperdere letho,
Quam prius optabat thalamo sociare iugali.
Ergo Dei spreta prorsus pietate fideq;,
Oblitus naturæ hominis, oblitus amorum

Supplicium (ah crudele nefas) immane requirit:
Ecce rotam stimulis ingentem onerabat acutis,
Virgineos quæ artus rueret, miserandaq; membra
Diuersas rapido in parteis conuelleret ictu.
At Diuûm pater ipse polo miseratus ab alto
Tormenti crudele genus conuertit in ipsum
Autorem comitesq;. & tempestate coorta
Præcipitantq;, ruuntq; ingenti grandine nimbi,
Cœlumq; horrisono crepitu procul omne remugit:
Tum crebris tellus gemit ictibus, undique flammæ,
Vndique sulphura corripiunt trepidantia membra.
It fremitus cœlo. media ipsa in morte ruentes
Te Catharina uocant, ueras nunc denique uoces
Agnouére tuas. at non mens dira tyranni
Credidit, aut sæuis uoluit desistere cœptis.
Ergo pio sumpsit sceleratas sanguine pœnas,
Et tandem niuea caput à ceruice reuellit.
Testaris moribunda deum, uocemq;, manusq;
Sustollens. tum mox humani corporis artus
Exuta ingenti superos in luce petisti.
Hic tibi certa domus, læti hic tibi maxima regni
Munera, cœlestesq; inter noua gaudia genteis.
Salue ô uirginei decus immortale pudoris.
Tu licet æterno Diuûm potiaris honore:
Mortales sed enim uoces non despicis unquam,
Cultorumq; audis præsens pia uota tuorum.

En

En facilem nobis orando redde parentem
Cœlicolûm hoc tantum uirgo. feret ipse rogatus
Auxilium, & fessis ultro succurret amicus.
Sic tu summe pater cœli de sede serena
Respice nos, precibusq; uolens allabere nostris.
Aspicis Huttenum patriæ decus, & decus ingens
Pontificum, quoscunque priorum uiderat ætas.
Hic tua sacra, tuas miserando hoc tempore dotes,
Oppressasq; fouet sanctis cum moribus arteis.
Nemo tuos æquè genitor propugnat honores,
Consilijs, opibusq; tuos uix alter alumnos
Sic leuat, & placida populos in pace gubernat
Iusticiam patriæq; colens uirtutis amorem.
Illi pro pietate sua, pro laudibus istis
Da pater exortem fraudis traducere uitam:
Tum quæcunque premunt mortales damna malorum,
Mille hominum pestes, pœnarum incommoda mille,
Exilium ac uersos inimica sorte penateis,
Quasq; ferunt miseris bella, heu bella impia terris
Tam uarias lacrimis causas, gemituq; nefando,
Publica queis fortuna labat, priuata ruinam
Lapsa trahit, dirum exitiumq; dat undique rebus,
Hæc nunquam ferat ille, animoq; & corpore sanus
Diues opum. felix patriæ, iucundus amicis
Mollia uenturæ producat fata senectæ.
Hoc primum pater. hinc pacem te poscimus omnes:

Aspicis

Aſpicis ut raptis concurrant in ſua telis
Viſcera cognatæ gentes, populiq; propinqui,
Omnes inuicti, paribus ſub legibus omnes,
Nunc belli, pacis quondam uirtutibus omnes
Non minus egregij, & clari ſuper æthera factis!
Redde precor pacem miſeris, placidæq; reducas
Artis opus, ſtudijſq; bonis ſua præmia tandem,
Ingenijſq; refer. magnis ea regibus olim
Cura fuit uel prima, ſit hæc non ultima noſtris.
Illi inter ſeſe belli ciuilis amorem,
Quicquid & irarum ſupereſt, fraudiſq; relictum
Expellant penitus, æternaq; fœdera iungant.
Tunc poterunt unà communi occurrere peſti,
Et fœdum noſtris diuellere finibus hoſtem,
Inſultantem in nos, atque undique tela ferentem.
Tunc ultrò egregiæ ſanctis cum legibus artes,
Relligio, pietaſq;, & nomina mille bonorum
Extollent caput, in numerumq; uoluta priorem
Tempora iam toto ſuccedent aurea mundo.

INFANTICIDIA, pro Sigiſmundo Friderico, Ioannis Iacobi Fuggeri præſtantiſſimi uiri Filio Puero.

Nam

NAm quis te furor, & scelerum malesuada cupido,
Impie, nec meritis ulli cessure tyranno
Corripuit? tam crudeleis quis sumere pœnas
Impulit Herodes? qui tot (miserabile uisu)
Insonteis letho puerûm nil tale merenteis
Abstuleris animas. nec te miseranda parentum
Lamenta & gemitus: nec fœmineo ululatu
Admixtæ mouere preces. uerba irrita uenti,
Vota simul matrum tenues rapuere per auras.
Saltem illæ lacrymæ miserorum, illi undiq; fletus
Infantum, & blandi flexisset gratia uultus.
Quinetiam tanto cessit natura furori:
Nec te natorum miseret, matrisq;, tuiq;:
Abstulit hos eadem rapidi inclementia ferri.
Pròh scelus, & nullis abolendum dedecus annis.
Tene maris uasti genuerunt æquora? tene
Scylla rapax, canibusq; uterum succincta Charybdis?
Aut Tmarus? aut Rhodope? aut horrēdæ in montibus altis
Progenuere feræ dirum, illætabile monstrum?
Nam simul illius postquam peruenit ad aures,
Aduenisse diem, quo summæ conditor arcis,
Idem regnatorq; poli, rerumq; repertor
Progeniem cœlo unigenam demitteret alto:
Quam pater intactæ clausurus uirginis aluo,
Mortali inde satam ritu (mirabile dictu)
Os hominem, uitaq; hominem, uirtute parenti

Imperioq; parem terris ostenderet: ipsum
Tunc fore, qui totum patri summitteret orbem
Legibus adstrictumq́; nouis, rituq; teneret:
Cuius ab immenso stupefactæ nomine gentes,
Terrarumq;, marisq́; tremat, cœliq́; potestas.
Hoc etiam cœlo promissum nomen ab ipso
Audierat, quondam quod sancta oracula patrum,
Veraq́; Cumææ cecinissent carmina uatis.
His adeò famæ stimulis accensus amaræ
Bacchatur furijs, & cæca fluctuat ira,
Multa timens (rerumq́; fames inceßit habendi,
Et regni uesanus amor torretq́;, rapitq́;)
Continuò magnas uulgatur fama per urbeis.
Ac totam Solymes oram, Iudæaq́; regna,
Terrificant animos crudelis iussa tyranni
Impia, nec seclis unquam reticenda futuris.
Vndique collectum generis quodcunque uirilis,
Inualidumq;, tremensq́;, & adhuc infirmius æuo.
Ah scelus, ah crudele nefas, manus illa latronum
Effera (Dij regi pœnam, generiq́; reseruent)
Insonteis iugulant pueros, & ab ubere matrum
Corripiuntq;, ruuntq́;, & iniquo marte trucidant.
Sic quondam mediæ feruent cum tempora brumæ,
Acer & in terris Boreas premit omnia latè,
Turba ruunt procul è syluis agitata luporum,
Vrget acerba fames stabulanteis montibus altis:

Ergo

Ergo auidi ſimul inuadunt, paßimq; per agros
Molle pecus, timidoſq; trahunt ſub matribus agnos.
Nec ſtabula ipſa tenent, nec clauſtra, aut cura magiſtri
Sufficiunt, tantoq; ualent obſtare furori.
Non ſecus infantes miſeri mactantur ad aras
Aut patris è gremio, aut matris ab ubere rapti:
Qui uix prima nouæ iam ingreßi limina uitæ
Guſtarunt dulcem cœleſtis luminis auram.
Ceu flos in tenera moriens ſucciditur herba
Pallentis uiolæ, aut purpurei hyacinthi:
Sic uos inſonteis, cœliq; ad limen ituras
Efflaſtis animas prima ad cunabula uitæ,
Et tepidam ſancto ſparſiſtis ſanguine terram.
Tum uos nec ſoli raptos luxere parentes:
Vos etiam Libani fleuerunt ſaxa propinqui,
Et celſi montes, & celſæ è monte cupreßi,
Fonteſq; fluuijq;, implentes gurgite ripas
Fuderunt plenos lacrymis manantibus amneis:
Vos etiam mutæ pecudes, & corda ferarum,
Omnia uos, præter duri fleuere tyranni
Pectora: nam ſæuo tantum illa adamante rigeſcunt.
Tempore quin illo ſtellantis ſidera Olympi
Credibile eſt atra ſignaſſe in nube dolorem,
Indignamq; necem cœli fugiſſe colorem.
Tunc Sol ignipotens, crimen ne tale uideret
Dicitur auerſos tenuiſſe per æthera uultus.

Et luna in nimbo faciem texisse serenam.
Vos tamen ò pueri melior fortuna secuta est:
Vos ò felices animæ, ut mortalis adempta est
Conditio, & diri ceciderunt fata tyranni.
Ille quidem ut fœdæ est mentis saturata libido,
Quem petijt puerum, cæsis tot millibus, unum,
(Huius enim tantum exitij flagrabat amore)
Vnum non potuit tristi demittere letho.
Ille quidem hoc cupiens natorum sanguine mentem
Expleuit miseramq́ mactans sua uiscera lætus:
Nec uidet ah demens rapere hæc sua gaudia uentos
Irrita, nec uires, maioraq; numina sentit.
At nunc pro scelere hoc, pro tam crudelibus ausis
(Nam quæ supplicia, aut tanto quæ pœna furori
Sufficiant) nigri tenet horrenda ostia Ditis,
Immanisq; Erebi loca, & illætabile regnum.
Vndiq; quem circum furiæ miscentur biantes
Aeternam in pœnam non una peste sequentes.
Vobis læta quies, uobis æterna piorum
Hospitia, æthereiq; domus patris alta reclusa est,
Felices pueri, quis enim tot carmine uestra
Gaudiaq;, plaususq;, uoluptatesq; referret?
Vos gremio pater ipse suo dignatur Olympi,
Et patris æterni genitrix, domina ætheris alti:
Aligeri circum iuuenes, tot læta piorum
Agmina promeritum regi pæana canentum:

Vos

Vos casti circum pueri, intactæq; puellæ
Dona ferunt teneram myrti de fronde coronam:
Tum uobis, quorum non unquam copia desit
Purpureos addunt flores, & candida miscent
Lilia cum uiolis, & cæruleis amaranthis:
Quæ dulci æthernum uos complectuntur odore
At tu summe pater cœlestis conditor arcis
(Nam quis adorauit frustra tua numina supplex?)
Aspice nos solio genitor miseratus ab alto:
Cernis ut iratæ concurrant undiq; gentes
Heu fœdis inter se odijs, & fœdere rupto:
Ipsa iacent deserta abductis arua colonis
Atque suis mœrent uiduatæ ciuibus urbes.
Tantum agitat miseros demens discordia ciues.
Intereà nostris insultat finibus hostis
Per cædeis, per dura premens discrimina belli
Barbarus imperijq; affectat sceptra Latini.
Hoc saltem pater, hoc probibe, & pia uota tuorum
Accipe, daq; uolens: nostris ut regibus auri
Insanus minuatur amor, fœdæq; cupido
Ambitionis: ut egregios imitata parentes,
Ipsa suas tandem repetat Germania laudes,
Terrarumq; ferat domitrix tua signa per orbem.
Tum pater ut pueris indigna cæde peremptis
Donasti sine labe mori, & tua regna tenere:
Expertem nobis scelerum, ac sine crimine uitam

Sic etiam tribuas genitor, nostræq; iuuentæ
Infundas ueræ placitum uirtutis amorem.
En tibi CHRISTE tuis iam nunc aduoluitur aris
Fuggeri puer optatum patris incrementum,
Matris amor, decus & fratrum, generisq; uoluptas:
Hic te ritè Deum primis ueneratur ab annis,
Quaq; potest tenera testatur numina dextra
Ingeminans blando dulceis ex ore loquelas.
Aspice nunc quantas fœcundo in pectore dotes
Indolis egregiæ quantos promittat honores?
Da puero (pueris siquidem aurea limina cœli
Pollicitus, paruiq; gregis tibi maxima cura)
Da patris alta sequi uestigia, mox ubi primas
Aetatis tener inualidæ superauerit artes:
Antiquum decus, æternasq; capessere laudes
Hinc simul incipiat, magnisq; insistere rebus:
Cumq; nouis cumulare suos uirtutibus annos.

HYMNORVM FINIS.

IOANNIS PEDIONEI CONſtantini, ad Iulium Pflugum Epiſcopum Numburgenſem, Ode I.



S T in herboſo nemorum receſſu
Fons ſacer lymphis, & amœnus
umbra,
Amnis undè altum reſonans pro-
pinqua
Murmurat unda.
Semper hic blandas auium querelas
Audiunt Nymphæ nemorum propago, &
Fontium, ac lætas agitant choreas
Non ſine Phœbo.
Fortè dum curis uagor hic ſolutis
Reſpicit longè reliquis puellis
Pulchrior: tum ſic prior ore fundit
Talia uirgo.
Ecquid ô uates tacitus ſub alta
Valle Nympharum? aut hominum, aut deorum
Nunc agè & læto meritas canamus
Carmine laudes.

Dum parum ſacra uacui ſub umbra
Arborum, dulci fruimur receſſu
Populos inter, uirideisq́; laurus
Ruris amati.
Poſt graueis caſus, miſeriq́; belli
Impetum curis ſemel expediti
Ocia, & dulceis reuocemus arteis,
Dona Mineruæ;
Dona Muſarum. ô tibi quis Deorum,
Quæúe Nympharum gælidis in Hæmi
Aßidet ripis, laticemq́; ſacri
Porrigit amnis?
Pauca de multis repetamus unà
Præſulis noſtri decora atque laudes,
Qui regit paruam Citij beatis
Legibus urbem.
Quem Deus rebus meritum regendis
Addidit nuper, ſimul & Latini
Imperi, & Diuûm pariter colendis
Addidit aris.
Ergo uos Iuli decora alta Muſæ
Ferte, qua Nereus ſpatiatus ambit
Regna terrarum, ualidoq́; claudit
Obice mundum:
Quaq́; Sol terris oriens Eoïs
Imminet, quaq́; Heſperijs Columnis

Occidens

Occidens curru resonante notis
Mergitur undis.
Ille uirtutem teneris ab annis
Ambiens pulchræ decus ille laudis
Omne quæsiuit, humilesq; magno
Pectore curas
Mouit. excellens animi sacrauit
Dijs bonis, dijs ò nimium beatis
Omne crescentis studium iuuentæ
Captus amore.
Ille florenteis Sophiæ recessus
Ausus, & paucis aditus patenteis
Transijt sacros, petijtq́; summas
Palladis arces.
Ille sanctarum monimenta legum
Abdita euoluit, uariæq́; dotes
Addidit linguæ, Aonidum per omnis
Nobilis arteis.
Ille & excelsas Heliconis arces
Contigit, doctos ueneratus amneis
Castalos hausit sitiens liquores
Ore diserto:
Vnde Daphneia redimita lauru
Semper hunc Clio, teneræq; circum
Concinunt Nymphæ, meritosq́; donat
Phœbus honores.

Phœbus huic plectra, & citharam sonantem,
Donat & carmen nitidum, quod antè
Vix dedit paucis, quod & hoc, & omne
Viuat in æuum.
Tuq; supremo dominans olympo
Da pater cœli decus atque princeps,
Si pios audis precibus uocatus
Annue nostris
Integer quondam ut uiridi in iuuenta
Iulius uiuat memores per annos,
Omnibus carus: patriæq;, & omni
Tempore felix.

AD ANTONIVM Fuggerum Kirchpergæ & Vueissenhorni Dominum, Ode. II.

OLim paternos si pius in focos
Tristeis ruinas urbis, & impetus,
Casusq; uertisset minaceis
Consilio, ualidaúe dextra:
Fuggere dignum promeruit decus,
Virtute dignum dum precium fuit:

Huic currus æternos honores,
Et patrium tribuit triumphum.
Hinc & Camillo Roma decus tulit,
Res dum Quiritum à milite Gallico
Seruauit & ciueis, & urbem
Dijs Italis, Latioq; felix.
Sic ille magni spes Capitolij
Vindex Latini Manlius imperi,
Sic Maximus, sic Africani
Promerita uiguere palma.
Tu qua corona? ciuica? an aurea?
Quibusq; tandem dignus honoribus,
Cum debitos bello penateis
Restituis sine cæde uictor?
Quid debeas Augusta tuo uides
Antonio? quod posteritas tua
Certè futuro tollet æuo
Inuidia atque odijs soluta.
Nuper sinistra Martis ubi alite
Contra sacrati omina Cæsaris
Insanierunt heu cateruæ
Auspicijs bene non uocatis.
Iratus ipsi cum populus Ioui,
Iratus & dijs mole ruit sua
Vrbeisq;, fortunasq;, legesq;
Obtulit Austriaco triumpho.

Iustus

Iustus fuisset, quis neget? hic furor
Et pœna turpi digna licentia:
Sed læsa maiestas inultum
Supplicium tibi deprecanti
Donauit Antoni. tua principum,
Quoscunque tellus protulit optimus
Pro ciuibus caraq; terra
Supplicis haud repulit rogata.
Augusta facti nunc memor est tui,
Tollitq; cœli ad sidera laudibus
Post Imperatorem benignum
Ordine te numerans secundo.
Vobis (sinistra quando ita sors tulit)
Dulcecis penates, & decus, & domos,
Prolemq;, remq; debet omnem.
O pietas memoranda in æuum.
Nos & sacratas qui colimus Deas
Tranquilli agentes per nemus Aönum:
Dum sordidis curis soluti,
Sollicitoq; metu expediti
Optata tandem carminis ocia
Tempeq; Musis grata reuisimus,
Faunosq;, Syluanosq;, & inter
Oreadas canimus puellas.
Per te perennis Castalidum liquor
Læto tumescet flumine largior:

Vatesq;

Vateſq; Romanos, tuoſq;
Nectare Bellerophon beato
Implebit, ingens carmine qui tuum
Nomen leuabunt astra ſub ignea:
Viueſq; maior Orione,
Ac Phäethonte regente currus
Hæc ſcripta non ſunt interitura, quæ
Vates uolente ſcripſit Apolline:
Et quæ ſacras fudit per arteis
Verba pijs referenda ſeclis.
Non ipſe, quanuis inferior mihi
Conceſſa Muſæ gratia, & ingeni
Vis tardior ceptum fatiget,
Te tamen immemor haud ſilebo.
Vatum, canendo, ſim licet ultimus
Te mente grata, pectore te pio,
Fratres, nepotes, liberoſq;
Inuidia celebrabo maior.

AD IO. IACOBVM Fuggerum Kirchbergæ & Vueiſſenhorni Dominum, Ode. III.

QVantum sagacis poßit Apollinis
Præstare uirtus, dum canit arbiter
Acui timendos insequentis,
Veridica referente Delo,
Motus, & atri plena periculi
Incepta seris indè nepotibus
Horrenda: uidisti, quod ante
Diximus haud renuente Phœbo:
Fuggere nostri gloria seculi,
Cui pectus ingens, atque animum grauem
Donauit illa, quæ iuuentam
Diua tenet sinè ui perennem.
Quem fama dextro sustulit alite
Nubeisq;, & ultra lucida sidera:
Cui nomen æternasq; laudes
Pieriæ tribuunt sorores.
Iam nunc beati prælia Cæsaris
Vidisti, & acris militiæ genus,
Et cuncta uix olim futuris
Facta fidem meritura seclis,
Catti furentis uidimus impetus,
Ictusq; fracti fulminis irritos
Dirum minantis omen, ipsis
Exitium superis daturum.
Iam copijs, iam milite barbaro
Vastabat agros, unndique gentibus

Incussa

Incussa formido, urbiumq;
Indomitæ cecidere uires.
Tanquam furentis tela Typhoëi
Deiecit alto Iuppiter æthere
Dextra tonante, ac uniuersum
Reppulit, ingeminans per orbem:
Sic Cæsar armis maximus & fide
Belli secundo dignior exitu,
Famamq;, & optatum Quirini
Imperio decus arrogauit.
Cattus feroci corruit impetu,
Fastus superbi pectoris, & minæ
Euanuerunt: ut sub auras
Ventus, & umbra fugit rapaceis.
Non ille dignus nomine regio
Non sceptra dignus ferre Quiritium:
Demens tamen quæ concupiuit
Dignior exilio, & catenis.
Cæsar rebellem contudit: arduas
Titanis arces fregit adulteri:
Primosq;, supremosq; bello
Victor humi sine clade pressit.
Ille & Sueuos indomitum genus
Cerui minacis cornua contudit:
Nil arcium potens, & armis
Horribilis ualuit Tyrannus.

Nil

Nil terra magni restitit Armini
Inuicta, & ingens, & patriæ tenax
Virtutis, ipsis aucta quondam
Ausoniæ, dominæq; Romæ
Ingens triumphis. occidit, occidit
Quæsita priscis gloria seculis:
Spes omnis, expectata regis
Ensiferi ceciditq; uirtus.
Placata tellus, & mare, & impotens
Ter Rhenus alto in Cæsare perfidus
Lycusq;, & Albis iam insolenteis
Indomiti posuere fluctus.
Tandemq; Iani clausa domus. Furor
Nodis ligatus luget ahenëis:
Pax, & Fides, & mater albo
Vesta redit ueneranda panno.
Ius, æquitas, & relligio, & pudor
Terras tenebunt Cæsare sub pio,
Cessabit effrenis libido,
Et ueteres reuehentur artes.
Iudex honestum præferet utili,
Negabit alto dona nocentium
Vultu: redibunt excitatæ
Cuncta piæ bona disciplinæ.
Per quam beati nomen & Imperi
Quæsita uirtus, & decus, & potens

Sublatæ

Sublata maiesta per orbem,
Solis ab interitu usq; ad ortum.
Rectore mundi Cæsare Carolo
Nunquam furoris uis erit impij:
Ciuilis aut speranda clades,
Quæ miseras uiduauit urbeis.
Non Barbarorum bella timentium
Perspecta nuper uis metuenda, nec
Magni tenent qui stagna Nili,
Danubiumq; bibunt profundum:
Iam pertimescit Græcia Cæsarem
Oppressa sæuo militiæ duce:
Thraces, & extremi Sicambri
Colla dabunt Latiæ catenæ.
Nunc & remissos Sequana, nunc Liger
Flexere uultus, & Rhodanus celer:
Nunc Cæsarem Tybris Latinus
Supplicibus ueneratur undis.
Quin & Britanni Cæsaris ultimi
Nutus adorant, & Morini sacros,
Gentesq; cunctæ, quas perenni
Alluit Oceanus meatu.
Nos & secundo principis exitu
Fuggere parto iam licet ocio,
Festo die lætemur omnes
More deum patrio precati:

Ille & Latini nomen, & imperi
Germaniam cum Cæsare præsidem;
Nunc, & futuro longè in æuo
Depositis tueatur armis.

AD GEORGIVM Loxanum Imperatorium, & Regium Consiliarium Ode IIII.

IAm uer emicat alterum,
Liquescitq; nouo terra Fauonio,
Bis cultas nemorum comas,
Bis iam purpureas aura tulit rosas:
Miraris quid agam tuus
Vates, ó animi dulce decus mei,
Docti præsidium chori
Loxane ò meritis inclyte, & artibus.
Miraris tamen, & diu
Cunctantem usq; mones officij mei.
Vt uerum fatear tibi,
Quod cessant citharæ, quòd tuba, quòd lyræ:
Non me læta quies iuuat,
Nec grato nimium perfruor ocio.
Tanti est causa silentij,
Non unum Dea quæ poßidet Antium.

Hæc

Hæc Thulen utinam ultimam
    Parthos aut celereis, aut rapidos Scythas,
Aut duros regeret Getas:
    Hos illa imperio uendicet aspero,
Hanc Diuam tamen impiæ
    Gentes immeritis tollere honoribus
Dignatæ, ò scelus, ò nefas:
    Quæ uos relligio, quæ pietas iuuat?
Quanto illam melius feram
    Cantauit ueteris musa Tragœdiæ?
Immanem, horribilem, trucem?
    Qua non Scylla latrans inguinibus canum,
Non Harpyia, neque horrido
    Flammas ore uomens bellua dirior.
Hæc peior furit omnibus,
    Quæ Proteus pelago monstra alit ultimo:
Seu quas terra tenet feras,
    Seu quas Herculeus perdomuit labor.
Illi dira Neceßitas
    Ferro armata manus, cor adamantinis
Clauis, æreq; triplici
    It semper comes. it Tristitiæ parens
Magnis Pauperies uiris,
    Et magnum ingenijs opprobrium bonis:
Quæ uirtutibus inuida
    Laudis dura uiam denegat arduæ.

Currenteis reprimit pedes,
    Prænsuram retrahit lubrica dexteram.
Cui iam Pierides sacri
    Parnaßi dederant cernere culmina,
Quem Phœbus cithara, & lyra
    Donans Aoniis intulerat choris,
Illa hunc rursus agit Dea,
    Deturbans miseris præcipitem modis:
Inuoluitq; iterum furens
    In densas tenebras, & specus horridum.
Illam his Pauperiem locis
    Fortuna genuit matre Neceßitas
Duri é pectore Caucasi:
    Ipsæ huic præbuerant ubera tigrides:
Seu quæ tigride sæuior
    Vsquam Tænarias pestis habet domos.
Non tantum tamen impios
    Manes terrificat bellua Cerberi.
Quantum hæc exagitat bonos
    Cum uirtute gerens impia prælia.
At uos, qui colitis Deam
    Fortunam, ô utinam lubrica numina
Expertosq; uolubilem
    Hinc quem mille modis, hincq; rotat globum
Cultus tædeat impii:
    Nec tantus miseros præcipitet furor.

Nunc

Nunc quos tollit honoribus,
    Illos mox eadem pauperie premet
Fortunæ leuis alea,
    Inconstans, fugiens, impia, perfida.
Quin magnum colitis Deum,
    Hunc solum meritis tollite laudibus.
Hic mortalia spernere
    Mortales iubet. hic iusticiam ac fidem,
Virtutisq; dabit decus
    Amplecti: & proprijs imbuet artibus.
Hic est perfugium malis,
    Hic est temporibus blanda quies bonis.

AD IOANNEM IAcobum Fuggerum, in Calendas Iulij. Ode V.

Diua, quæ sanctas Heliconis arces
Poßides, regina nouem sororum,
Da mihi uestri tenuem liquorem
            Tangere fontis.
Tuq; facundæ pater alme linguæ
Mercuri, & curuæ citharæ repertor
Huc ades: ni te superum fatigant
            Iussa ministrum.

Triſtior de me tuba iam recedat,
Quæ canit reges, genus & deorum
Cæſarem maiore ſonante plectro
Vatis Homeri.
Lesbiæ nunc me fidibus camænæ
Redde Muſarum decus atq; princeps:
Lesbium concede minore plectro
Fundere carmen.
Iuliæ nobis redeunt Calendæ
Pulchrior lux ô reliquis calendis,
Semper & feſta, & gemina colenda
Turis acerra.
Hac enim gentem domuit ſuperbam
Cæſar, hac Catti furioſa regis
Fracta uis tandem Latiæ remiſit
Colla catenæ.
Hac ſimul lucis genitalis auras
Cepit Auguſtus tua clare proles
Fuggare, & magno retulit triumphos
Nomine Victor.
Iam tua æternis operata Diuis
Vxor, atq; uni mulier marito,
Gaudeat ſacram celebrare lucem,
More uetuſto,
Vxor, & caſti pueri, & puellæ
Gaudeant fratri meritos honores

Addere,

Addere, & linguis teneri solutis
Dicere carmen.
Tuq; magnorum specimen uirorum,
Tu pater solem niueum frequentes,
Gentis humanæ, superumq; regem
Ritè precatus.
Tum meæ si quid poterunt camenæ
Spiritum si quem mihi, siquid artis
Musa largita est, facilisq; Phœbus
Carminis autor:
Concinam sacris Heliconis antris
Cæsaris magni decus atq; laudes
Ter sonans, ò lux, ter, iò triumphe
Cæsaris alti.
Quo dabit maius, meliusúe nullum
Seculum, nec par dabit, aut secundum:
Ipsa si prisci redeant Latini
Tempora regis.
Post canam uotum superis sacratum
Atq; natales pueri Calendas:
Victor Augustus meritò secundos
Sumet honores.
Da pater cœli decus, atq; princeps
Ulla si uoti tibi cura nostri.
Si pios audis, precibus uocatus
Annue nostris.

Floreat multos puer hic per annos,
Dulce lenimen, decus, & uoluptas,
Olim & urgenti requies senectæ
Grata parentum.
Vosq; fatales puero sorores
Iulias concedite tot Calendas,
Seculum hinc totum quot habebit annos:
Tum bona semper.
Postera accedant meliora primis:
Crescat hoc uirtus, & honos, pudorq;:
Crescat & pleno cumulata semper
Copia cornu.
Sint boni mores uiridi iuuentæ,
Sit senectuti requies futuræ,
Semper & cunctos pietas per annos
Et decus omne.

AD GEORGIVM A Crailshaim Equitem Francum, Ode VI.

MVsis amicus, gratus Apollini
Acrem Georgi militiam paro.
Cursuq; mutato retrorsum
Vela dabo egregio labori.
Valete nigri pocula Lesbij

Factiq; in usum stulticiæ scyphi:
Valete iucundi sodales,
Quos amor, & Bromius fatigat.
Totos quibus cum sæpe dies mero,
Noctesq; ludo fregimus irrito,
Insaniemis dum iuuentæ
Heu miseras imitamur artis.
Dum nos uoluptas inuida gloriæ,
Pulchræq; laudis pernicies rapit
Per damna, per clades, ab ipso
Perdere opes animumq; Baccho.
Nullum est uenenum perniciosius
Intemperanti desidia datum,
Diuisq; certatim uirisq;
Omnibus inuidiosa pestis.
Qua tristiorem uix adamantinis,
Inter tot atri damna periculi,
Regnis seueræ motor urnæ
Aeacus ex Acheronte misit.
Hæc si nefandum sustulerit caput,
Cessauit altæ uis sapientiæ:
Virtute succumbunt repulsa
Cuncta piæ bona disciplinæ.
Hac uis beati tollitur ingeni
Hac fida custos frangitur artium
Hanc Phœbus, & Phœbi sorores,

Hanc operum ſtudioſa Pallas,
Hanc odit arces qui pater igneas,
Nutuq; terras & mare temperat,
Quem Tartara, inuiſiq; fratris
Regna tremunt nigra fulminantem.
Non hanc ſecutus perniciem pius
Cum fratre Pollux, & bonus Hercules
Per damna, per cunctos labores
Sideribus meruere tolli.
Non extuliſſet Roma potens caput
Regina mundi, ſi piger & leuis,
Somno profligatus meroq;
Dardanius latuiſſet exul.
Præclara uendunt dona laboribus
Dij, nunquam inertem laus ſequitur uirum:
Ingloriam ſpretus ſenectam
Et miſerabile claudet æuum.
A me uoluptas, & uenus, & merum
Cedant, & ultra nil ueniat modum:
Caſtis redonatus Camænis,
Caſtus Apollineas in artes
Iuro ſacramentum. hoc opus, hic labor,
Vitæ hoc futurum eſt curriculum meæ:
Sic Gratijs Muſiſq; uiſum
Claudere quod ſuperabit æui.
His me Georgi forſitan artibus

Spreuiſſe

Spreuisse Parcas fas erit inuidas:
His tu tibi laudem perennem
Perpetuumq; decus parabis.

AD ERASMVM Vuolfium, & Ioannem Lorichium Ode. VII.

OCtobres redeunt Maronis idus,
Magni conscia lux beata partus:
Hanc lucem sibi propriam dicarunt
Cum Phœbo pariter nouem sorores.
Quid nos, quid facimus mei sodales?
Num tristem iuuat explicare frontem?
Et graueis animi mouere curas?
Vos qui Castalios bibistis amneis,
Vos ô qui colitis sacros Dearum
Fonteisq;, fluuiosq;, syluulasq;,
Adeste undique quotquot estis omnes.
Quid cessatis, amabo, num uenitis
Vos ó deliciæ nouem sororum?
Vuolfi tu pater omnium lepôrum,
Lingua nobilis, & sonante plectrô,
Vita, moribus, eruditione,
Nostræ præcipuum decus iuuentæ:

Interpres

Interpres simul utriusq; linguæ,
Tuq́; idem decus elegantiarum
Lorichi, unanimi mei sodales:
Queis nec candidius mihi duobus
Hæc ætas tulit, aut feret futura,
Non si Iuppiter ipse donet annos
Tithoni, Priamiq́;, Nestorisq́;?
Sed uos qui colitis Maronis idus,
Omnes este boniq́;, candidiq́;.
Hanc uatum pater ipse consecrauit
Legem, quam coleret memor uetustas:
Hic nulli locus est seueriorum,
Qui tristeis nequeunt leuare curas.
Hic Candor niueus, bonæq; Pacis
Numen: hic Veneresq́;, Gratiæq́;:
Sed castæ Veneresq;, Gratiæq;
Vt castum decet, ac pium poetam.
Non hic Liber abest, adest leporum
Largitor Deus, & decens uoluptas.
Quæ si numina quem iuuare possunt,
Nobiscum celebret Maronis idus.

IOANNES

IOANNES PEDIONEVS, GEORgio Theandro, Ingolstadianæ Academiæ Rectori

S. P. D.



ALdè lætor probari tibi institutum meum, quo in Dei Opt. Max. Diuorumque laudibus scribendis, & edendis utor. Iudiciũ uerò de me tuũ cum ut hominis eruditissimi, & in studijs diuinarum, humanarumque rerum longè prestantis per mihi honorificum fuit: tum literæ tuæ tam suauiter, tam eleganter scriptæ, magnumque mihi amoris & beneuolentiæ tuæ pignus afferentes, multò sanè iucundissimæ fuerunt. Quanquam mihi iudicium illud tuum ab amoris exuberantia, & ingenui quadam animi tui dexteritate potius profectũ, quàm ex re ipsa, hoc est, ex ingenij mei merito factum esse uideatur: tamen non quòd ex eo magis mihi placere debeam, sed quia certius uoluntatis tuæ testimonium nactus literas tuas, tanquam

quam prædes quosdam domesticos teneam. ic-
circo magnoperè lætor. Quomodo enim agno-
scam laudas illas, quas tu mihi tam benigne in
illis literis tuis tribuis, uim ingenij, carminis
maiestatem, orationis elegantiam: quæ certè, quia
laude digna sunt, ego in te potius, aut in alijs sa-
nè perpaucis, quàm in me esse sentio. in quo illud
tamen, quod uiri boni facere solent, & ij, qui uir-
tutis suæ conscij nullaq; maliuolentiæ labe suf-
fusi, nullis alienis inuident laudibus, neq; ullo
animi morbo feruntur in cæteros, in te equidem
agnoui, & factum tuum mecum tacitus com-
probaui. Etenim quantulum illud est, quod ego
ingenio meo præstare possum? à natura enim
parum instructus sum ad copiam, facultatemq;
dicendi. eò accedit, quod nec industriam illam,
qua cum naturæ tarditas sæpe corrigitur, tum
agilitas semper adiuuatur, adferre scribendo
possim. Tot enim curis agitatus animus atque
uexatus, tot publicis priuatisque laboribus di-
stracta cogitandi uoluntas studium omne scri-
bendi retardat, & curam subtrahit elaborandi.
atque ut uno uerbo dicam, omnem, quicunque
in nobis est, siue ingenij, siue animi uigorem for-
tunæ penè temeritas extinguit. Vides mi
Theander, quomodo adhuc, & quale ipsa cum
natura mea fortuna bellum gerat, nulla præci-
puè mea culpa, sed sua quadam quasi fatali tem-
pestate nos obruit, & affligens superiorum tem-
porum iniuria de constituto cursu, etiam clauo
inhærentem excutit, ac tantum non præcipitem
in

in fluctus agt. Per quam ſanè tempeſtatem tam turbulentam, tam moleſtam, ſi mihi liceret, quantum uellem in ſtudijs literarum, quas ſemper amaui, magnarumq; rerum & libero homine dignarum contemplatione, atque in uirtutis actione uerſari, perficerem fortaſſe aliquid: ſi minus quantũ tu mihi tribuis, illud tamen perficere conarer, cum ut me natum patria lætari poſſet: tum ut non fruſtra natum poſteritas ipſa quondam iudicaret. Verum ut horum nihil ſit futurum, neque unquam aſſequi poſſim, quod uolo ſequi, teſtimonium tamen uoluntatis meæ, relinquam ciuibus meis fortaſſe. Se non pœnitendũ. quam quidem uoluntatem meam tibi cum primis in omnibus diſciplinis erudito, & ſanè literato uiro tam probari, tantoq; opere laudari ualde me herculè gaudeo. atq; eandem ob cauſam nec cæteris bonis & doctis uiris, quorum eſt hodie in Germania noſtra multitudo, improbari inſtitutum meum poſſe confido. Quamobrem quod me ad perficiendum amantiſſime, & honorificis uerbis adhortaris, ſcito negocium totum nunc penè confectum eſſe, & me editionem adornare cum Hymnorum quidem: tum uero etiam quorundam Carminum: quæ illis non incommode adiungi poſſe iudicaui. Cuius rei argumentũ te uidere ex duobus iſtis Hymnis, quos nouiſſime ſcripſi, uolo. eaq; de cauſa mitto. Poſtremo, ſicut erat in tuis literis, quod de tua in me propenſa uoluntate tã prolixe polliceris, oĩa uide licet te mea cauſa facturũ eſſe, in quo ne ipſi quidẽ

doctiſſimo

doctiſſimo atque optimo uiro, noſtri omnium amantiſſimo Eraſmo Vuolſio conceſſurus ſis, plus ut ille me diligat, agnoſco mi Theander & humanitatem & liberalitatem tuam: quã mirifice mecum complectens in animo atque in memoria mea teneo, &, dũ uiuam, tenebo. Quid enim non poſſim de te mihi in poſterum polliceri, qui tam multa iam feceris mea cauſa, ut tot tibi beneficijs obſtrictus, ingratus eſſe ſine ſcelere, & turpi inhumanitatis nota non poſſim: quo etiam maiorem mihi occaſionem opto dari cum declarandæ erga te beneuolentiæ meæ: tum ornandæ quibuſcunque rebus poſſim, dignitatis tuæ. Hoc tibi perſuadeas, mecque diligas, ualde te etiam atque etiam rogo. Vale, Ingolſtadij. III. Non. Iunij. M. D. XLIX.

IOANNES PEDIONEVS, Erasmo Vuolsio

S. P. D.



RATIONEM meam, quam superiore anno maxima, ut scis, frequentia Academiæ nostrę de studijs eloquentiæ, & de Ciceronis laudibus habui, quod iam sæpius ab hominibus nostris requiri scriptam uiderem, librarij tandem manibus imprimendam dedi. Atq; eo quidem feci cōsilio, ut siue quid boni in ea lucubratiuncula uideretur esse, quod ignoro ipse, dubito quidem ualdè, id ipsum à me sub tuo nomine communicaretur in uulgus: siue minus esset, eodem tamen præsidio defensionis tuæ factum meū audacius, quo in minus graueis repræhensiones incurreret, niteretur. Quanquam quid tandem magnopere repræhendi factū eius mereatur, qui in illo ipso, quo studet prodesse quibus potest, nocere nemini, quemadmodū nobis iura diuina & humana præscribunt, nullam tamen ambitionem, nullos quærit alios fructus, quam gratam operam præstare amicis; eam præ-

fertim cum honestam, tum meo iudicio debi-
tam petentibus? Inter eos tu Erasme primus
summusque es, & fuisti, tum qui nonnihil boni
esse in meis studijs putaris: tum qui maximis tu-
is erga me meritis, hoc quicquid est muneris
tacitus etiam quodammodo, sed tuo planè iu-
re tibi uendicaris. Argumentum porro Oratio-
nis nostræ, non parum ad eam rem ualuit.
Quid enim non laudemus eloquentiam? qua,
si cum sapientia & religione coniuncta est, quod
uere affirmare possum, inter omnis præclaras
artes & nobileis, nullam a Dijs immortalibus
nobiliorem & præstantiorem habemus? Ipsius
uero Ciceronis nostri cœleste diuinæ uirtutis in-
genium, naturæ illud immortale miraculum
laudare, cuius non est quasi debitum munus?
eius præsertim qui studiosum esse se optima-
rum artium profitetur. Horum etiam tempo-
rum ac locorum eiusmodi ratio est, eaque na-
tura, quod ipse uides Erasme, ut nisi ad opti-
ma statim uitæ literarumque præcepta tradu-
catur iuuentus, similis sit futura sui: & quod
plerunque fieri solet, sane metuendum est, ne,
dum leuia quædam ac minuta, quia faciliora
uulgo uidentur, magnis & præclaris artibus,
maximarumque rerum authoribus anteponun-
tur, melioris hoc & elegantioris disciplinæ ge-
nus, rationemque non ita pridem nobis cum Ita-
lis atque Gallis a Germanis authoribus commu-
nicatam, penitus amittamus. Quod tamen ne fie-
ri possit, ut de alienis taceam, nostros certè ciueis
com-

commissuros non puto, ut hanc nouam ueteris eloquentiæ sapientiæq; laudem à nobis auferri patiantur: rem præsertim illam tam præclarè multis gerentibus, in quibus duo optimarum artium principes, homines nobilissimi Iulius Pflugus & Christophorus Carolouicius longè omnibus antecellunt. Nam quid ego de Bartholomeo Latomo, & Ioachimo Camerario uirtutis antiquæ uiris? aut quid de Ioanne Sturmio dicam? cuius præclaris artibus non solum hæc propagatur dicendi ratio: sed hoc authore eloquentiæ doctrinæque laudibus in Germania nouum quoddam quasi domicilium comparatur. Sunt alij multi, eiusdem laudis appetentes, & esse quam plurimos optandum est, cum præsertim summos uiros, ac propè diuinos Romanæ facundiæ, atque omnis sapientiæ longè hæc ætate principes Petrum Bembum, & Iacobum Sadoletum nuper amiserimus. quibus addo nostrum Adamum Carolum, cuius uirtus & doctrina singularis, in maximi regis familia tanquam quoddam lumen emicuit. His igitur extinctis, uel potius à nobis ablatis, decet nouum lumen parare, & adolescentes nostros, quemadmodum ad diuinæ atq; humanæ sapientiæ disciplinam: ita ad eloquentiæ atq; ingenij cultum adhortari. Ac uelut in cæteris quidem omnibus uirtutis, religionis, fortitudinis, sapientię laudibus, nullis propè gentibus concedunt homines nostri: ita in his doctrinæ studijs, atq; omnis honestæ disciplinæ monimentis, quibus immortalis memoriæ

nomen proponitur, illuſtre uirtutis decus, appetere decet principatum. Eum quidem ego mihi nec ſpero, neq; ambio, ne cuiquam tam uidear impudens, ſed in meis ciuibus uidere cùm hũc quidem ipſum, tum omnia ſumma conſtituta & uolo, & opto. Tibi uerò Eraſme Vuolfi mitto hanc Orationem meam, nec tamen tanquam quoddam munus magnopere expetendum, quod ipſum tamen ſi poſſem perlubens mitterem: ueruntamen inter ea, niſi fallor, recipiendum, quæ tibi ab alijs mittuntur amicis tuis. in quibus ego, ſi minus ingenio atq; doctrina, quod ipſum ingenuè fateor: at amore tamen ſingulari, & beneuolentia erga te mirifica appetere ſtudeo principatum. Amo enim, & amaui te à multis annis planè conſtantiſſimè, neq; unquam ulla in re, quod ſcis ipſe, imminutus eſt mutuus amor noſter: in quo ſanè meum de te iudicium indies magis magiſq; creſcit, ut non ſolũ id cupiam, quod debeo præſtare tua cauſa: uerũ etiam plura & maiora, quam præſtare poſſim, appetam. Quod quidem ut faciam uelimq;, cum illa tua tam liberalis, tam elegans eruditio, plurimæq; excellentis ingenij tui ſuauitates merentur: tum etiam mea quædam perpetua cõſuetudo, atq; in amicis colẽdis fides mihi præſcribunt. Vale. Idibus Iunij. M. D. XLIX.

IOANNIS

IOANNIS PEDIONEI CONstantini, de Eloquentiæ, & Ciceronis laudibus Oratio.



NTEQVAM de studijs eloquentiæ & Ciceronis negocioq; nostro, AVDITORES ORNATISSIMI, quod institui uobiscũ, dicam ea, quæ hoc tempore existimo dicenda: exponam uobis, & repetam paulo altius rationem & consilij, & instituti mei. deinde uos ad negocij illius nostri, quod suscepimus, ardorem, hoc est, quæ partes meæ sunt, ad studium uos eloquentiæ, atq; optimarum artium cohortabor. Ego cum primum ad hanc REMP. literariam uocatus accessissem, cumq; iam per ætatem & didicisse aliquid uiderer, ac percepisse gustum quendam bonarum artium literarumq; illarum, quas ab ineunte ætate colui, semperq; maximi feci: contuli omne meum studium ad iuuandas commoditates plurimorum. In quo equidem quantum iudicio meo facere maximè potui, & quousq; cum debitum munus atq; officij mei ratio progredi, tum cupiditas etiam atq; animi ardor impellere me potuit, sum constanter, ut opinor, & cum fide progressus: nec defui unquam, quantũ in hac extrema

penè adolescentia mea: uel facultatis, uel authoritatis esse potuit, iuuentuti nostræ, aut docendo, aut consulendo. Quibus omnibus, si quantum uolui, tantum etiam profecissem: multum certè uolui: atq; ut ego quidem existimo, & uos intelligere atq; sentire arbitror aliquantum etiam profeci: satis magnos, meoq; iudicio sanè debitos fructus percepi, & officij mei, & uoluntatis. Etenim quid libero homini atq; ingenuo accidere uel honestius potest, uel quid tandem optatius esse debet? quàm si sentire ipse secum, & probare in multitudinem posit: se ita instituisse rationes uitæ suæ, itaq; uixisse, ut quantum iura diuina & humana postulant, læserit neminem: quantum uerò honestatis ratio, ac ius præscribit humanæ societatis, uoluerit prodesse quã plurimis. Atq; hoc ipsum si mihi nihil arrogans tribuero, sensusq; ipsos animi mei iudicijq;, nudamq; ueritatem deprompsero, uideor id mihi meo propè quodam iure facere. Tertius iam annus agitur, eoq; ut arbitror amplius, cum huius rei iacere fundamenta cepi, atq; illud, quod oblatum erat ab amplissimis uiris, munus tueri: idq; primum quidẽ feci in explicandis orationibus CICERONIS, posteà uero, ut ab eisdem Dictt, iussus eram, in enarrandis summi poetæ monimentis publicè uersatus sum, & adhuc uersor. In quo munere docendi, cũ à frequenti iuuentute audirer quotidiè: tum ita uisus sum, ut nequid dicam cum arrogantia, à qua absum longissimè: uerum ita tamen, ut dixi, uisus sum docere, eaq; fide atq; integritate in hoc studiorum genere

nere uersari: ut à multis rogarer bonæ & præclaræ indo-lis adolescentibus, uellem aliquando, quod in Virgilio principe poetarum interpretando iampridem publicè facerem: idem quoq; in Cicerone, non modo omnium oratorum, sed omnium pene doctorum, ac ingenio totius Romani generis principe, alijsq; huic proximis authoribus facere priuatim. Ac quoniam à summis quibusq; grauißimisq; authoribus incipiendum, atque erudiendam statim optimis iuuentutē doctißimi homines censerent. contendebant à me, uellem ipse in me experiri, an eadem nostra opera atque industria artes poeticæ atque oratoriæ, studiumque tum sapientiæ, tum eloquentiæ conseri ac percipi poßet. posse autem in eo nonnihil ipsos à nobis adiuuari, prope quotidianæ illorum preces indicabant. Quibus ego, quod in me non tantum roboris atque neruorum esse animaduerterem, mihique semper ipse diffiderem, respondi nihil mihi antiquius fore, quàm in omnibus rebus eorum, uel qui ita de me iudicarent, uel qui honesta atque præclara peterent, respondere uoluntati. esse tamen causam cur adhuc etiam atque etiam deliberarem. Itaque cum spacium mihi sumerem ad cogitandum, & serius mallem ad eiusmodi munus, quàm imperatus accedere, ecce in medio secutum est hoc formidolosißimum & maximum bellum, quo de Rep. ciuilibus cum disceptaretur armis, omnium pene fortunæ, uita ac salus in discrimen uocata est, tum pace atque ocio auda-

cißimorum hominum furore e manibus extortis, omnes leges, omnia bonarum artium studia conticuerunt. Post etiam aliquantum temporis, re quidem nondum penitus cōfecta: sed inclinata, atq; ab altera parte prope desperata: cūq; tandem reiecta arma à ceruicibus nostris essent, pestis grauior bello secuta, reliquum numerum eorū, qui ad paucißimos redacti superfuerant dißipauit. Toties igitur tum peste, tum bello exagitati, toties hinc inde disiecti atque uexati, quid nos aliud præter animi constantiam, promptamq; & paratam bene merendi uoluntatem, potuimus adferre? Ea quidem & antea remansit in nobis, & hoc tempore ita se extulit, ut nec priuati ocij studia, nec domesticas meditandi ac scribendi rationes, ut quidem antea solitus eram, bonorum adolescentum cupiditati, & uestris commoditatibus anteferrem. Etenim quamprimum per ætatem aliquid iudicare potui, sic semper existimaui, optimam conditionem eorum esse, qui publicis potius, quàm priuatis cōmodis studerent: & qui bonis plurimis operam suam, atq; industriam nauarent. In hoc autem genere, ut de cæteris bonorum uirorum officijs omittam, quæ sunt plurima, & prope innumerabilia, hos certe beatos semper ac felices existimaui: qui excellenti naturæ bono, qui eruditione instructi, cæterorum ingenia & honestis disciplinis aluerunt, & cum literis tum moribus præclare informarunt, ac tanquam alteri animorum parentes, ad uirtutem atq; laudem excitarunt. Illi fundamenta, ac sedes constituunt

Reip.

Reip. & , ut Plato inquit, uires atque alimenta præbent perfectæ, & bene moratæ ciuitatis. Quapropter quo grauius hoc docendi munus, quoq; difficilior hæc disciplinæ ratio uidebatur: eò serius ad eam accedebam: semperq; me uariæ cogitationes abstrahebant ab instituto: metuebamq; ei muneri, cui perpauci hactenus satisfacere potuerunt: ne ipse quoq; satisfacere, ac cum dignitate præesse possem. Sed cum animaduerterem à quibusdam, hoc quicquid est muneris, certè non tantum existimari, ut ego sentiebam, putaui mihi quoq; ueniam dari posse: & cum multi sæpe uel errore communi quodam, uel imbecillitate animi atque iudicij, magna tamen quædam conarentur, eiq; conatus non modo tolerabiles: sed fructuosi etiam plerisq; uiderentur, atque in precio essent: meam ipse tenuitatem, si idem ausus essem, agnoscebam in uituperationem fortasse uocari posse ab inuidis: à bonis uerò & studiosis, si id, quod institueram, cum iudicio susciperem, cum fide atque integritate animi gererem, beneuolentiam ac gratiam, bono uiro optatißimos fructus expectabam. Itaque cum uiderem eas artes, quibus me à puero dedidissem, qbus incredibiliter delector, studiaq; eloquentiæ à multis expeti, à paucis rectè atque ordine tractari, esse autem earum artium studia longè præclarißima atq; nobilißima, quæ ipsa quondam cum principe terrarum Rep. floruissent, Imperijq; Romani cum sapientia coniuncta gubernacula tenuissent, putaui operæ precium me facturum, si in quo exigeretur stu-

dium meum, & appeteretur industria, in eo plurimum ipse elaborando si expertus essem, multorum uoluntati atque expectationi satisfacerem. Qua quidem in re & cogitatione mea eo magis delectabar, quod non ut plerique existimarent, & quod de alijs multis dictitare possent, in me dici conueniret, me commodi mei causa ad docendum uenisse: etenim non ego ex hac opera mea præmia aut spero tanta, aut postulo: ut non modò uires meas pluris æstimando, facultates meas, quæ ipsæ tamen tenues atque exiguæ sunt, extendere uelim: quas sane mediocriter & tranquille tueri contentus sum: uerum me potius ipsius rei tum honestas, tum dignitas mouit, tum animus me meus impulit, eorum semper qui & honesta expetunt, & præclara cupiunt amantißimus. Exposui iam uobis AVDITORES ORNATISS. rationem consilij & instituti mei: nunc quæ de negocio nostro, studijsq; tum eloquentiæ, tum Ciceronis dicam, ea, quæso, benignè quoque & diligenter, sicut adhuc fecistis, audiatis. Ego igitur cum uiderem artis oratorias, studiumq; dicendi, ab illis à me flagitari, quibus aliquid negare, humanitatis præsertim, & huius facultatis cupidißimis, duri mihi atque inhumani uidebatur, earumq; rerum instrumenta supprimentis, quibus nonnihil alijs quidem existimabar instructus non solum ad docendum: uerum ut ipsi putabant, etiam ad dicendum uenisse: dixi si quid à me contenderent, quod ego præstare saltem possem, in eorum me

potestate futurum. Quid poteram? ualde equidem cum petitione tam honesta, tam liberali optimorum adolescentum: tum rei ipsius difficultate ac magnitudine commouebar: illorum cupiditas, huius difficultas occurrebat: illinc quod inuitaret, hinc quod deterreret, habebam. non quieui igitur donec humanitati difficultas: liberalitati animi, magnitudo rei succumberet. meq; ipsum dubitantem diu, ac penè tergiuersantem uici atque impuli, uelle me dixi id, in quo si minus quàm expectarent, à me consequi possent: uoluntatem mihi nequaquam defuisse, sed facultatem iudicarent. Etenim A. O. magna quædam & præclara res est eloquentia: eaq; tanta est, ut alia sanè nulla aut difficilior, aut diuinior existimari queat. Nam loqui & sermone uti inter homines, etsi omnibus commune nobis est, quos hac ratione à cæteris animantibus natura ipsa seiunxit: tamen ea facultas ac scientia quæ docet dicere, hoc est, ut ego intelligo, de quacunque re, atque in omni uarietate quæstionum ciuilium, sententiarumq;, quæ in medium euocari possunt, proprie, eleganter, copiose, ac summa cum dignitate differere: ea haud dubie facultas cæteras omnes superat. Sunt enim multæ honestæ ac liberales disciplinæ, eæq; sunt penè omnes inter se connexæ atque coniunctæ: quarum una quidem ab altera multa sine dubio mutuò sibi assumit, ac reddit. hæc uero ab exquisita quadam ratione atque præstantia tum doctrinæ, tum naturæ profecta, omnibus

præclaris

præclaris rebus constat: atq; omnis in partis ciuilium quæstionum, cogitationumq; humanarum summa cum dignitate, atque audientium admiratione diffunditur, Hæc primum inter mortales fuit, postquam tandem cognitum est, ab uno aliquo, qui omnia quæ ubique sunt fecisset, qui naturæ ipsius dux & pater esset, DEO OPT. MAX. principium sumere, ab eodem & oriri animos nostros & referri. atque hinc mox ortum quædam religio cœpit, ciuitates atque Respp. conditæ: tum uero eloquentia, & facultas quædam persuadendi inter homines exorta, quæ eas quas cum natura suasisset, tum religio condidisset leges ac præcepta uiuendi, & oratione propagauit, & consilio stabiliuit. Quod ita necesse fuit prouidentia quadam constitui mortalium, ut quemadmodum ipsi ab animantibus cæteris oris effigie erecta, & figura deo simili, ac ea, qua nihil diuinius est, mente ac ratione distarent: ita unus esset, in quo inesset uis quædam ingenij atque eloquentia, quam audirent, quam admirarentur omnes, qua perculsi atque excitati uni alicui de rebus maximis atq; necessarijs disserenti, de Deo immortali, de natura diuina & humana, de religiõe, de pietate, de iure atq; iusticia, de pace, de bello, de omni deniq; uirtutum atque uitiorum natura assentirentur omnes, ac tanquam uel deo cuidam, uel diuinitatis participi sui ciues parerent. Est enim hæc ratio dicendi, qua & excitare animos, atque impellere magna cum efficacia atque impetu possumus, qua duras atque obstinatas

stinatas mentes perfringere. nullaq; est tanta barbaries, tam inculta, atq; insolens humanitatis asperitas, aut etiam unquam apud ullas gentes fuit, quæ non eius uiribus concesserit. nullaq; tam uoluntas obstinata, quæ non se fractam atque prostratam eius aliquando imperio permiserit. Quid enim est aliud, quod doctißimi ueteres, de magnis illis uiris Orpheo, Amphione, Lino, atque Hercule Gallico tanta exempla posuerunt? Non solum bestias illi eas, quibus à natura inest feritas quædam atque immanitas: sed quod admirabilius est, saxa & solitudines uoce flexerunt. Hercules uero catena illa aurea, quo uolebat, mortalium cœtus pertraxit. Quid hoc est aliud? nisi rudes primum atque immansuetos hominum animos, ad meliorem uitæ rationem, consuetudinemq; legibus & bonis moribus congruentem, eloquentißimorum sapientißimorumq; hominum oratione traductos esse atque conuersos? Neq; hæc solum poetæ fabulis suis exempla tradiderunt: multa & præclara ueritas ipsa nobis exhibet. Atheniensium nobilißima illa ciuitas, cum quondam floreret omnibus copijs atque opibus præstantißima, ac totius regina Græciæ: tum multo magis ingenijs uirorum illustrium nobilitata est. Quis est enim, qui saltem non à literis sit omnino alienus, qui ignoret, quantis urbs illa rebus, quanta rei militaris scientia, quanta deniq; præstantißimarum artium gloria cæteris omnibus gentibus præstiterit? ac tanquam Græciæ uniuersæ clarißimum lumen eluxerit? Itaque imperium

maximum

maximum obtinebat, maiorum suorum uirtute partum, Imperatorum fortitudine propagatū, optimis & artibus et legibus constitutum, quod multos per annos oratorū prudentia, ac sapientū eloquentia conseruauit. Nec uero Solonis sapientißimi hōis, qui Atheniensib. leges nouas conscripsit, ueteres antiquauit, tantū ualuisset authoritas, si nō ea, quæ ille prudentißime instituerat, ab optimis ciuibus culta, in posterumq; propagata fuissent, tū disertißimorū hominū uoce atq; authoritate conseruata. Nihil enim in Rep. leges bonæ prosunt, si non ciuiū bonis & moribus, & artibus exprimuntur. Ad hæc quis dubitat, quin plurimū ponderis adiecerit sapientiæ coniuncta eloquentia. Qualis in Themistocle illo principe fuisse fertur: & multo etiā magis in Pericle, cuius tanquam de cœlo delapsus imber in terras, ita animos hominum feriens cum ui atq; impetu uerborum, sententiarumq; ubertate ruebat oratio. Multi in eadem ciuitate, & eodem tempore, & post hunc eloquentiæ laudibus præstitere. Ac quidem de Demosthene satis fuerat uno commemorasse. tanta in hoc uis ingenij, tanta dicendi gloria, tanta maiestas orationis, ut non solū historiæ nobis dicunt, uerum ipse quoque suis in scriptis indicauit. Quantum hic uir in sua Rep. potuerit, declarant conciones eius. qui penè solus Philippum Alexandri magni patrem Macedonum regem molientem uniuersæ Græciæ seruitutē eloquentiæ uiribus repreßit, ac penè firmioribus ingenij, atq; linguæ præsidijs: quam tota illa ciuitas, populusq; Atheniensis imperij

magnitudine,

magnitudine, rerumq; gestarũ gloria, ac prudentia, fortitudi neq; illa à multis temporibus collecta certauerit. Quid nunc de Populo Rom. dicam? qui à tã paruis initijs in tantã imperij magnitudinẽ creuit, ut uix eisdem, quibus orbis terrarũ, finibus contineretur? nonne ille simul ac leges præceptaq; uiuendi à regibus accepit, post etiam exactis regibus, ac donatus libertate, cũ in ea ciuitate magistratus indies optimas quasq; leges tulissent, statim iusticiã colere, libertatem tueri, fines propagare, gentes atq; nationes subigere cœpere; quodq; omniũ præsidium fuit firmißimũ in prudentibus atq; disertis hominibus oratio. hæc in officio atq; metu populũ continere: hæc seruitutẽ peiorẽ morte atq; cruciatu à ceruicibus liberorũ tanquã uenenũ ac pestem propulsandam dicere: persuadere sæpe unus qui ingenio ac consilio præstaret de maximis reb. ciuitati. Quis credat populum illum, cũ propè ducentis ac quinquaginta annis regiæ potestati subiectus, libertatis quæ dulcedo, uel potius quod nomen esset, ignoraret, ad tantũ facinius, tam Reip. præclarũ tam uniuersæ salutare ciuitati, tã deniq; ipsi gloriosum potuisse accedere, uel de coetiam cogitare, nisi diuina L. Bruti, P. que Valerij uirtus & oratio persuasisset? Cuius uis eadem propè quingentesimo post anno reuixit, cum in multis magnis uiris: tum in M. Tullio Cicerone, quẽ nunc in manibus habemus, ita eluxit, ut huius ingenio ac lingua ciuitas illa tanq̃ Atlante cœlum niteretur. Atq; in hoc homine, cum ante ipsum & proxima et superiore ætate oratores fuissent, primũ quidẽ, Cato, Lepidus, Galba, Gracchi.

Scipio

Scipio, Lælius, in quibus iã magnas eloquentia uires sumpserat: tum Antonius, Crassus, Hortensius, qui eam Atheniensibus parem fecerunt, in hoc inquam homine, ea ita se extulit, ita euolauit, ut neq; maior esse posset, neque superior ullo modo. Itaque secutus est hic quidem ætate superiores: ingenio ac uirtute dicendi longè præcessit, qui quandiu uixit, salutaris ac felix suæ ciuitati, P. quæ R. fuit. qui si in meliora tempora incidisset, multo felicior fuerat & sibi, & Reip. ciuis futurus. Cum enim ille omnium gentium uictor, uirtute ac felicitate imperij longe princeps populus, ea incrementa sumpsisset, ut eius magnitudinem, nec capere terrarum orbis, nec ipse continere se posset, suis, ut plerunq; solet, uiribus atque armis præcipitari in peius cepit: posteà collabi penitus atq; corruere necesse fuit. Hoc iam tum malum cæpit, cum uirtuti inimica auaritia, continentiæ luxuries, iusticiæ crudelitas, libertati impotentissima dominandi cupiditas, ac ueræ gloriæ ambitio atq; imperia immoderata opponerentur. Quo tempore cum iste ad Remp. primùm accessisset, cum Sullanis armis esset oppressa ciuitas, & recuperata Resp. crudeli illa uictoria, cum iam non modò ciuium cædes Italiæ passim oppida resperserant: sed in ipsa urbe tecta atq; templa ciuili sanguine redundarent, cum Senatus authoritas concussa metu iacéret, iudicum seueritas labefactata conticeret, liberè populus conqueri de suis fortunis non auderet, cum etiam illi uiri, qui anteà de R. P. & liberè sentire, & grauiter con-

queri,

queri, & ostendere uulnera atq; sanare consuêrant, aut eiecti é ciuitate, aut extincti ferro essent: tum hic admodum adolescens, præclarißimum Reip. libertatis suæ documentum dedit: tum declarauit in Sex. Roscio defendendo, quantus uir & ciuis patriæ suæ natus esset. Itaq; ex eo tempore, quo complexus est R. P. nunquam ab illa uel sustentanda, uel defendenda potuit auelli. eaq; in sententia usq; ad exitum uitæ, supremumq; spiritum permansit.
Ostendebat liberé publica uulnera, eorumq; morbos uel prudentia ac ratione multo ante prouidebat, uel ore consilioq; sanabat: propulsabat ab innocentibus & bonis perditorum ciuium crudelitatem: uirtuti uim inferri prohibebat: furiosis ac seditiosis resistebat: optimatum & senatus authoritatem defendebat. Etenim si recté temporum memoriam consideremus, quando unquam magis necesse fuit, ut uis diuina quædam ingenij consceleratorum hominum audaciam furoremq; reprimeret? eequando pro iusticia, pro pietate, innocentia, fortitudine in ulla unquam Rep. & grauioribus contentionibus actum est & pluribus? quando armis aut ulla potentia contra impetum iniustißimæ tyrannidis uehementius: quàm huius lingua ac libertate decertatum est? Hic uir, hic consul nefarios L. Catilinæ gladios, urbi atq; imperio, P. R. exitium molientes, orbi deniq; terrarum seruitutem meditantes, uirtute, consilio, fide de sceleratis manibus extorsit. ipsam illam pestem ac furiã patriæ pene fatalem, ex eiusdem uisce-

ribus auertit, exterminauit, oppreßit. Hic P. Clodij impudicam impudentiam, ac nefarios furores, sceleratosq; conatus repreßit. hic Seruilij TRIB PL. seditiosi atq; improbi largitionem illam popularem, sed senatui bonisq; omnibus inuisam, summa eiusdem gratia ac plausu populi prohibuit. Hic etiam. C. Verrem hominem nocentißimum, atq; omni labe ac flagitio inauditi atque inuisitati sceleris, libidinis, audaciæ, perfidiæ, crudelitatis, auaritiæ notatißimum, reum in iudicium adduxit, contra Hortensium principem & senatus & fori, contra omnes Metellos ciues summa & nobilitate & potentia condemnari fecit, in exiliū egit. Deniq; hic M. Antonium tyrannidem post interitum Cæsaris affectantem, atq; omnia ui armorum ad suam potentiam reuocantem, consulem consularis, Imperatorem priuatus, armatum togatus ualidioribus eloquentiæ opibus ex urbe eiecit, atq; proscripsit. Cuius tanta uis atque authoritas fuit, in principe terrarum Republica, ut unus in odium Antonij uniuersam illam ciuitatem, unus omnes Reip. uires Pop. que Romanum, atq; Italiam totam effuderit atq; conuerterit. tanta huius authoritas fuit, ut potentißimi tres tyranni iam omnium ubiq; rerum potiti, non tamen imperium illud oppressum arbitrarentur sese obtinere posse: nisi illam ipsam uocem, qua illud sæpe conseruatū fuerat, unà cum imperio, ac P. R. libertate tollerent atq; extinguerēt. In quo quidem quanquam omnem humanitatem scelus importunißimum Antonij excesserat: quanquam

quanquam nefario atque horribili parricidio, parente illo patriæ occiso sese Tyrannus obstrinxerat: tamen falsi sunt illi minime quidem opinione sua. Quippe imperium per scelus partum, ac prætextu Reip. falso, coniurationis execranda societas, diutius illo uno libertatis patrono, Reique publicæ custode stare non potuisset. Quemadmodum enim arma sumuntur interdum errore quodam, uel cupiditate, uel certo quodam sæpe consilio: ita eodem intercedente consilio arma deposita, recuperataque pace atque ocio conquiescunt. Voluntates autem hominum, perpetuumque iudicium certè & eloquentiæ uiribus impellitur, & eiusdem authoritate, cum iam crudelitatis pertæsum est, & cum infixa animis requies, salusque communis ciuium ad pacem & tranquillitatem reducit, eoque, quò uix antea spes erat, animos conuertit. Tanta igitur uis est eloquentiæ, tantus in omni rerum actione splendor, tanta in omni ueritate maiestas, ut ad huius nutum: tanquam diuinum quoddam humanæ uocis oraculum atque testimonium, flectatur imperita, & concitata multitudo: ad huius nutum senatus fortißimorum hominum ac prudentißimorum concilium ut à sententia sæpe discedat, populoque de maximis rebus persuadeat: iudices seuerißimi sæpe ad misericordiam clementiamque uertantur: sæpe cum eadem uelit in iram atque indignationem inflammati rapiantur. Itaque L. Crassum, & M. Antonium, qui cum hac

dicendi gloria longe quondam cæteris in eadem ciuitate, præstarent oratoribus, quorum tamen ingens tum erat copia, constat: dum libertas stabat, senatus uniuersam sæpe authoritatem, tanquam habenis quibusdam gubernasse, ac eo curriculo quasi animos omnium, quo uellent, continuisse. Itaq; Crassus cum uideret Philippi cos. disertißimi, oratione acri ac uehementi perculsum senatũ, eiusq; ordinis splendorem, per nefariam. Cos. insectationem labefactari, qui dũ custos ac tanquã pater bonus esse debebat, tanquam latro, ac prædo quidam nefarius eripere senatui studebat patrimonium dignitatis: tum hic tanquam cycnea uoce diuinus orator septimo ante mortẽ die tanta cõtentione animi atq; ingenij rem egit, consulem priuatus fregit atq; abiecit, ut amplißimo ordini suam dignitatem, populoq; libertatem restituerit. Alter uero consularis uir & triumphalis, ut taceam quantum sæpe oratione ciuibus, quantum consilio atq; authoritate Reip. profuerit. tantum certe potuit supremo uitæ die, ut cum à Cinna mißi percussores essent, qui cæteris principibus occisis, ac omni pene nobilitate trucidata, ipsaq; eloquentia pene deleta, caput quoq; Antonij, tantam cumulum auferrent, ac uocem illam tanquam alterũ lumen atq; ornamentum ciuitatis eriperent, tantum certe uir hic potuit, ut miti oratione eius, ac tanquam oloris iam morituri cantione barbarißimi militum animi flecti atque incitari cœperint: ita ut ipsi latrones atq; sicarij, qui à tyranno erant mißi ad interficiendum talem uirum, iam par-

tim

tim ſcelerum conſcientia conſtricti, partim oratione commoti, niſi tyranni pœna urſiſſet, à tanto ſe facinore abſtinuiſſent. Quis enim non admiretur? non ut deum quendam uenerandam existimet ac colendum eum, quem hoc ſingulari deorum dono, & de cœlo dato munere præditum atque ornatum uideat? Quis non omni cultu atque amore proſequatur eum, quem oratione ſapienti atque diſerta de capite, de ſalute, de fortunis, de periculis denique omnium ciuium ſtatuere, ac decernere poſſe intelligat? Etenim arma quidem Imperatorum ſunt, quibus ſcimus & nos quidem maxime opus habere Remp. in qua maximas ſæpe ſcimus humano generi commoditates fortitudinem attuliſſe. quippe ſub eius tutela atque præſidio, aræ ipſæ, foci patrij, Dij penates, omnium uita continetur, imperij maieſtas amplificatur, fines ſæpe proferuntur: tamen cum rem militarem uis ut plurimum, non ſcientia: inſidiæ, non authoritas gubernent: uidetur certe non parum huic togatæ facultati bellica uis concedere. Eo accedit, quod quæ cum in omni uarietate ac conditione rerum humanarum plurimum poteſt: tum præcipue quidem bellicis in rebus fortuna dominatur: tum cœleſtes ipſæ uires atque tempeſtates uentique occaſionem rei gerendæ ſæpius prohibent. Hæc autem ratio, ac facultas dicendi, quæ cum à naturæ ui quadam profecta, tum doctrinæ ſapientiæque præſidio munita, tum Reip. tum ciuibus plurimas affert commoditates: quam non euentus,

sed ratio: non uis, sed prudentia: non fortuna, sed consilium moderatur. Tum uidentur etiam, si iudicium uerè de istis faciundum sit, arma nobis cum immanißimis quoque belluis esse communia: quibus iram natura uehementiorem etiam quàm nobis dedit: & ad puniendos adfectus uires roburque corporis, atque omnia efficaciora. Itaque non sunt admittenda facilè in humanam istam ac ciuilem societatem, nisi quandò præsidij causa sumuntur arma, cum humanitati, cum legibus cæterisque remedijs locus non erit, tum quidem sumenda sunt. uerum eadem ipsa, cum ad naturæ agnitionem reditum est, rursus deponenda. At uerò boni uiri ac diserti, copiosa & prudens oratio, à natura ipsa profecta, eidem scilicet optime congruit. in hac certißima sunt, tutißimaq; præsidia, & priuatis hominibus, & ciuitati. huius munus est, cum fide ac uirtute complecti R. P. retinere multitudinem in officio ac pietate: eandem, si quæ discordiæ ac seditiones, tanquam tempestates intercesserint, placare, atque mulcere, grauiq; & leni oratione componere: bonos à malis uindicare: eripere ex ui atque iniuria innocentes: improbos ciues audacesq; comprimere: res ærarij, publicasq; commoditates tueri, augere, defendere. Quæ quidem cum tanta sint officia, ut eorum meritis, non modò ad summum atque amplißimum gradum ciuitatis, & cunctæ humanæ laudis fastigium multi peruenerint: sed ijs penè in cœlum quodammodò ascendatur studio quidem beneuolen

tiaq; mortalium, quis dubitet cœlestes ac diuinos appellare eos, quos hac facultate præditos uideat? Etenim sicut in omni maleficio ac crimine uindicando, opus est iuris seueritate atq; animaduersione legum, sine quibus neq; humani generis societas primum constitui potuit, neq; postea in officio atq; actione uirtutis retineri: ita in illa animaduersione aut infligenda nocentibus: aut ab innocentũ fama atq; uita depellenda iniuria: non solum plurimũ ponderis habet oratio: uerumetiam aut ad seueritatem atq; grauitatē non remittendam in noxijs hominibus: aut ad misericordiam atq; clementiam miseris præstandam ipsum quasi iudicem extra se rapit, aliudq́;, quàm anteà paratus uenerat, & cogitare de reo, & statuere compellit. Non igitur immerito hæc in florentißimis ciuitatibus primas semper tenebat. cuius uirtute atq; præsidio nocentes sæpe homines: quantumuis aut potentia præstarent, aut opibus, aut amicis, aut nobilitate, aut clientelis ualerent, ac niterentur: tamen iudicij seueritatem subterfugere non potuerunt: innocentes autem quantumuis inopia ac solitudine premerentur, contra potentium cupiditatem defendebantur. Neq; enim cum in bonum uirum ac prudentem incidit eloquentia, aut fraudem impunitam in facinore persequendo, neq; corruere innocentiam, aut circumueniri uirtutem, frugalemq́; uitam patitur.

Itaq; eius præsidio ac uoce contra uim, contra potentiam, contra cupiditatem sæpe mos, iusticia, æquitas, religio ualuit. propositaq́; in eius defensione cum priuatis ciuibus,

atque concordia: tum exteris etiam nationibus pax atque tranquillitas: eaque nisi tantum ualuisset, minime certe uel prouinciæ proximæ in libertate R. Imperij, ac iure acquieuissent, non modò in remotißimis terrarum partibus ultimæ gentes in fide atque officio permansissent. Tanta enim uis atque potestas cum sit in bono ac diserto uiro, ut neque ea quæ à prudentia & bonitate naturæ excogitata sunt, consilia atque officia iacere patiatur: eaque cum in clarißimam lucem proferat, tum omnibus etiam ne euentu careant, aut errore aliquo aut mora, ut sæpe fit, impediantur præclare excogitare persuadeat, quis tandem dubitare poßit partem aliquam diuinæ mentis & consilij in ea esse? quæ scilicet ad prosperos rerum euentus non solum plurimũ ponderis adferat atq; mométi, sed promoueat etiã atq; extendat recte consideratas Reiq; publicæ salutares actiones, hocq; modo fortunã quasi ipsam, ut ille nescio quis inquit, rerum omnium humanarum domitricem regere ac gubernare uideatur? Itaq; eius opera perfectũ est, ne unq̃ ulla in ciuitate contra prudentiam temeritas: contra fortitudinem ignauia, contraq; religionem ac fidem iniusta potentia, & dominandi cupiditas diu ualerent. sed istorum arma atq; instrumenta quibus niterentur, uirtute ipsa uindice expugnata atq; obruta collaberentur. Atq; hæc quidem cum diuinæ cuiusdam facultatis sint munera, tum coniuncta sunt cum reliquis artibus, quibus quidem Reip. salus ac dignitas continetur. eaq; ita cum iuris sapientia,

præstans

præstantiq; ac propè singulari illa legum disciplina connexa est: ut eorundem olim in Romana ciuitate principum munus esset: & de iure, deq; omni actione causarum ciuilium prudenter respondere, & causas in foro magna contentione animi atque ingenij exercere. Nec sanè eloquentiæ minus, quã ciuis cõsulti illi fuere, quorũ tantoperè memoriã diligimus etiam mortuorum, quorum laudem ac gloriam excipient omnes ætates, Craßi illi & Scæuolæ, & Sulpitij, & Tuberones, atque etiã noster Cicero: cuius uniuersi iuris peritiam, & ciuilis, & auguralis, ingeniosißimæ illius actiones hodiè nobis declarant. Quapropter harum omnino facultatum coniunctio tantam uim in omni administratione Reip. habet, ut fructus earum ad opes, ad potentiam, ad summam deniq; rerum omnium amplitudinem atq; felicitatem eueheret. Hos igitur secutus est ætate M. Cicero, cuius ingenium felix ac salutare patriæ fuit: quandiu in ea libertas, iuraq; populi uiguere, quandiu dignitas ea quæ ordinatim ex Rep. percipi solebat, intacta mansit: tum uerò hic uir floruit: omniaq; ea, quæ grata ciuitas liberatori suo, pro excellenti ingenio, summa uirtute, singulari constantia, incredibili eloquentia, tribuere potuit: commoda atque ornamenta uir hic per omnes uitæ gradus est consecutus. Homo nouus iste Arpinas, qualis paulò ante ipsum C. Marius ex eodem loco fuerat ille summus uir & imperator: qualis ante hunc fuerat C. Lælius ille sapiens, nobilitatis claustra perfregit: uirtuti atque ingenio

ad summa rerũ humanarum fastigia aditum patefecit. Neq; unquã ab eo tempore, quo iste admodũ adolescens L. Sulla dominante præclarum illud et uirtutis suæ specimen, et animi documentũ dederat, à Reip. gubernaculis discessit, eaq; libertate, quã sibi ipse moribus congruentẽ suis, ab ineunte ætate susceperat, postea in reliqua omni uita corroborauisset, usq; ad summũ tempus ætatis, ultimũq; spiritũ, permansit. Itaq; ab innocentiæ, et iusticiæ causa nemo stetit fortius: à partibus bonorũ, nemo unq̃ constantius, contra auariciam et cupiditatẽ, quibus tũ uicijs Romana ciuitas maximè præter cæteras gentes infecta erat, defendebat hic frugalitatẽ et continentiã maiorũ: contra luxuriem atq; intemperantiã, quæ post Sullæ uictoriam, etiam nimiũ se in acerbißimam ciuium proscriptionem extulerat, hic inopiam atq; innocentiam tuebatur, resistebat popularibus, fouebat reliquos optimarũ partium atq; artiũ ciues, Senatus authoritatẽ contra potentiã paucorũ sustentabat, sanabat publica ciuitatis uulnera, pericula deniq; tanq̃ tempestates prudens gubernator futuras multo ante denunciabat, ac prouidebat. Itaq; domus illius tanquam arx quædã fuit aduersus potentiã libertatis, asylum ac perfugiũ calamitosorum, hospitium exterarũ gentium, nec minore limen illud frequentia & exterorum & ciuiũ, quotidie terebatur, quã illorũ, qui principes erãt, opibus et rerũ gestarũ gloria uirorum amplißimorũ, quicunq; in ulla Rep. aut fuerunt, aut futuri sunt, Cn. Pompeij. M. Craßi, C. Cæsaris, quibus ipse nec gratia, nec dignitate inferior fuit: prudẽtia autẽ atq; authoritate sæpe etiã superior.

Cuius

Cuius patrociniū implorabant maximæ clientelæ duæ Siciliæ & Cappadociæ regna, tū uniuersa Græcia atq; Asia, populi deniq;, reges, tetrarchæ, insulæ, puinciæ, ac sola terrarum ultimarū: cuius ingeniū sui reuerebātur ciues, S. P. Q. R. cū uniuersa Rep sæpe huius prudentia atq; autoritate nitens, in maximis rerū momentis, periculosißimis temporibus, huius quidē uirtuti semel cōseruatā salutē communē: sæpe prosperitatē tribuit: hūc, quod ante ipsum cōtigerat planè nemini patrem patriæ cōsalutauit: nec tantū ciues in quorū oculis uersabatur custodē publicæ salutis atq; amplificatorē libertatis appellabāt: sed reges exteri, ab ultimis sæpe terris, literas mittebāt, qbus quod regnarent, quod obtinerent fortunas et dignitatē suā, id totum beneficio eius adscribebāt: sed Impp. P. R. qui in prouincijs erāt, quiq; armis imperij fines, cū finibus orbis terrarū terminādo ac propagando intēti erāt, hij frustra se res suas geßisse, in patriā frustra reuersuros fuisse censabant: nisi Ciceronis uirtute, nisi oratoris prudentia, nisi consulis felicitate ac fortitudine patriam conseruatā, aras, & focos, et deos Penates, & cum libertate ac fortunis omnibus, coniuges liberosq; ex impiorum ciuium consceleratis manibus ereptos atq; seruatos aspicerent. Iam uerò postea cum paucorum potentia rem omnem in ultimum penè discrimen adduxisset, quis tum aut fortius restitit cupiditati? aut prudentius consuluit dignitati? cuius si authoritatem atque prudentiam secuti illi uiri fuissent Pompeius & Cæsar: nunquam ille temere in tantā se uitæ fortunarumq; omniū dimicationem dedisset, non cū so-

cero

cero gener, cum eo, quem & suis, & Reip. opibus extulerat atq; armauerat, impar cum parato bellum suscepisset: non patriam reliquisset: non ex Italia fugisset: non tribus exercitibus amißis, Rep. prostrata, non tribus triumphis spoliatus, non orbatus tanta rerum gestarum gloriã, in seruorum manus & gladios nudus incidisset: non omnes fortunæ fœdißimæ proscriptionis hastæ subiectæ ac direptæ: non amplißimæ spei liberi defleti fuissent. Quid? nonne uictor huius & Reip. Cæsar post illatam illam patriæ pestẽ, quàm prius spolijs exterarum gentiũ ornauerat, post etiã regni cupiditate, & iniusti dominatus libidine penitus euerterat, nonne is si Ciceronis & Catonis plena grauitatis ac salutis consilia secutus esset, honores quàm opes consequi maluisset? nonne liber in Rep. ciuis cum ciuibus, dignitate princeps, iusticia cum cæteris par, bonus deniq; cum bonis uiris uiuere prius duxisset: quàm Tyrannidem, atq; intolerabilem populo libero principatũ occupauisset? quod si fecisset, non ea quæ per scelus erat & per nefas adeptus, cum maxima gloria amisisset eorum, à quibus est in senatu eo, quem sibi ipse legerat, trucidatus. Idem de M. Cœlio, C. Curione, P. Crasso, de Dolabella & Antonio dici potest. Qui cum primum sese in huius amicitiam adolescentes contulissent, summæ spem uirtutis ac gloriæ præse ferebant. à quo postea cum malis consilijs persuasi discederent: discesserunt à sese ipsis: aut enim in perniciem atq; flammam patriæ cum ipsa corruerunt: aut Reip. ad cuius salutem nati

esse

esse debebant, pœnas iustas & graues persoluerunt. Iam uerò ipso Cæsare dominante, non est quod obijciant improbi hunc animo demisso fuisse, aut non satis, ut tantum uirum decebat, liberas sententias dixisse. imò hac lenitate placabilitateq; animi, commutatis rebus atq; temporibus, tamē, ut sapientem par fuit, dignitatem suam obtinuit, ualuitq; authoritas eius sæpe plus ad salutem ciuium, populorū, atq; regum: quàm ad eorundem perniciem, illius qui uicerat, potentia. Quod si non ualuit? cur contra uoluntatem istius restituti Marcellus atq; Domitius, alijq; consulares & clari uiri? qui quidem istius potentiæ non solum infensi, nec consilijs aut sententijs solum: sed armis sunt aduersati. nec cum hoc de gloria tantum: sed de uita, ac salute: neq; uter uinceret, sed uter uiueret acerrimis contentionibus dimicarunt? Deinde cur Ligarius, Cæcinna, Torquatus, ab istius subornatis iudicibus accusati, istius sententia iudicioq; damnati, Cicerone incumbente pro salute eorum sunt restituti? Quid? cur absolutus Deiótarus rex amicißimus P. R. libertatis? Cur innumerabiles alij, quibus Tyrannus ipse, non solum tyrannis odio fuerat? Quapropter his ille tot tantisq; laboribus, periculisq; susceptis atq; superatis, ecce in ultimum discrimen, eamq; quæ iam una restabat, dimicationem uitæ, pro Rep. & pro libertate descendit. In quo quidem si minus, propter hominum perfidiam, fortuna sua uirtus eius usa est: magno tamen animo, & ut uirum decebat, casum & fatum quod effugere nemo potest, per-

tulit.

tulit, et quod partim à ſapientiſſimis uiris acceperat, partim quod ſtudio ſibi ipſe atq; ingenio pepererat, oſtendit, in quo ſanè perfidiam amicorũ, crudelitatem tyrannorum impiam, fati deniq; uim ipſam et neceſſitatem animi magnitudine ſuperauit. Te uerò M. Antoni, quæ premit omniũ mortaliũ, omniumq; ſeculorum execratio? quæ poſteritas ignorabit, aut quis tandem temporũ curſus futurorũ obliuiſcetur ſceleris ac parricidij tui? quas nõ in te totius orbis terrarũ ultimas gentes odio importunitatis tuæ concitaſti? quæ de te literæ, quæ linguæ ita aut loqui aut ſilere poterunt, ut non oẽs te hoĩes, dij deniq; ipſi immortales execrentur? Nihil ergo tandem, aut parum tibi uidebatur, qđ naturam ipſam, quæ non iniqua tibi primũ: quod fortunam, quam ob hoc poſtea iniquiſſimã ſenſiſti, ſingulari illa tua immanitate ſuperaſti? Quis te tantus furor oppreſſit? quæ te (malum) inſania à mente tua, ab omni humanitate deiecit? ut ueterem amicum tuum, ut auunculum, auum, maiores tuos, ac propinquos omnes falleres atque eluderes? eos inquã, qui te ad ſalutem patriæ, ad incrementum, non ad euerſionem Reip. genuerant, quorũ tu exemplo ad uirtutem naſci, ad laudem excitari, ad dignitatem conformari debueras: eorum omnium et fidem uiuentium, quam de te patriæ dederant, & memoriã mortuorum, quam acceperas, inexpiando atque inaudito ſcelere uiolaſti. Tu, ut obliuiſcamur impuritatem adoleſcentiæ tuæ, prætereamus calamitoſas tibi alijſq; libidines tuas: omnia uitia & flagitia reliquæ uitæ taceamus: hoc certè

uno

tuo crimine parricidij prostrata patria, euersa Rep. interfecto patriæ parente, te abstinere debueras. Tu enim tanquam Helena illa Græciæ atq; Asiæ pestis ac pernicij causam attulit: ita tu patriæ casuræ, fœdißimo illo Tribunatu tuo, flammam ac faces admouisti. furentiq; uitrico tuo tanquam illi Paridi Helene altera causam opprimendæ Reip. dedisti. Quam tu quidē cum sedem imperij, arcem omnium populorum atq; gentium, reginam orbis terrarū accepisses, quam etiam cum se in tutelam ac fidem tuam tradidisset more maiorum, atq; exemplo generis tui, tueri atq; amplificare debueras: eā fœdißimi cupiditate principatus, eisdem, quæ ab illa acceperas, armis ac uiribus oppreßisti, cepisti, funditus euertisti. Illius tu uiri uitam carißimam Reip. per uim eripere es ausus? illas tu ceruices secare, quibus diu Reip. dignitas ac salus sustentata est? eā tu uocem uiolare, quæ sæpe patriæ, quæ nationibus ac gentibus ultimis, quæ regibus, quæ regnis, quæ ciuibus, quæ tibi deniq; saluti fuerat? Vicisti igitur Remp. quam tuis constrictam manibus tenes. uicisti patriam, quæ à te crudeli illa hasta proscriptionis tuæ, miserabilius uexata est atq; uastata: quàm unquā anteà à Catilina appetita. ille libertatem suam quæsiuit armis: tu publicam sustulisti. ille ut potens esset, contra uoluntatem ciuium nefaria molitus est: tu ut regnares, cū eiusdem sceleris & pactionis tuæ socio perfecisti. ille consulis uitæ insidias priuatus fecit: tu Imperator coss. sublatis, tot uiris cōsularibus tanquam Reip. luminibus extinctis uniuersæ statum ciuitatis euertisti.

euertisti, ille inimicos atque inuidos ulcisci conatus est: tu amicos ac propinquos tuos iugulasti, tu auunculum ipsum clarißimum uirũ, quem patris loco colere debueras, in manus hostium iugulandum, trucidandumq; condonasti. Vicisti omnia Antoni, fortunam ipsam, deniq; & naturam importunitate scelerum tuorum. quam ne quis eripiat tibi, omnes aditus crudelitate animi tui sunt occlusi. Victo enim et oppresso Cicerone, non est quod metuas, ne quis accuset tyrannidem tuam. hoc sublato, noli putare te unum ciuem, unum senatorem, unum consularem sustulisse: sed cum hoc sedem illam imperij pulcherrimi quondam atq; maximi: fundamenta Capitolij, arcem illam omnium gentium, consilium orbis terrarum, uniuersam deniq; uim illam imperij eadem ruina excidisse te putato. Itaque satiasti tu quidem huius sanguine crudelitatem animi tui: per te uox illa á suo quidem, hoc est mortali corpore auulsa corruit, famam autem atq; gloriam illius excipient omnes anni consequentes. in hanc unam, quæ ut sapientißimi rectè dicunt, melior nostri pars est, animam atq; famam, quæ perpetuis seculis consecrata est, nihil iuris, nihil fraudis obtinuit uis atrocitatis tuæ. Etenim quæ est unquam futura ætas, quæ uentura tam longinqua posteritas, quæ omnium tandem hominũ atque temporum iniuria, quæ non dicam abolere: sed obscurare tantum poßit diuinam illam Ciceronis effigiem? quæ in animo atque ingenio eius impressa, pulcherrimis monimentis ad omnem uetustatem propagata, sempiterna permanebit.

manebit. Hæc sunt nimirum præstantium uirorum, splendidißimorumq; ingeniorũ præmia uerißima, hæc pulcherrima merces, memoria nominis æterna, in quam nulla uis fati unq̃, nulla temporum longinquitas, nulla hominũ iniuria ius habet, quam quidẽ (ut ille poeta inquit) neq; ira Iouis coruscãs, neq; uires illæ cœli mirabiles abolere possunt. Quæ quidem cum eximiæ uirtutis sint præmia: tum iure manent illos, qui pro patria labores periculaq; susceperint: pro religione & pietate arma sumpserint: qui deniq; pro iusticia & libertate, contra sceleratas impiorũ coniurationes animo magno sese in uitæ, fortunarumq; dimicationẽ obtulerint. Atq; hæc quidem, si unq̃ in ullo homine, in hoc certe uiro apparuerunt quando enim illum in Reip. causa, metus, quando in amicis subleuandis iniuria, quando in bonorum partibus asserendis, pericula retardarunt? qui tantas contentiones cum impijs sceleratisq; ciuibus susceperat adolescens, pro uirtute ac libertate tandiu unus ingenio, eloquentia, fide certauerat, donec ultimum pro ijs spiritũ profudit: & qui fati supremum diem non potuit effugere: quod quidem licet nemini: is indignitatẽ certe mortis, libidinemq; uictoris, & uocis suæ libertate, & ingenij magnitudine uicit atq; prostrauit. Etenim V. O R N. si uerũ iudicium faciundum sit, deturq; alicui optio, cui liberum utrumq; sit, quis se malit uictoris illius, quàm uicti huius subire fatum? utrum quis malit pro patria, pro libertate, pro aris & focis mortem oppetere: quam quod ille fecit, opprimere patriã,

euertere libertatem atq; leges, cum aris & focis, dijsq; penatibus impium & nefarium bellum suscipere? postremò quis malit fato huius uel illius uitam amittere? hic enim quod ab inimico crudelius erat passus: quàm uel meritum tanti uiri, uel dignitas ferret, dici poterat infelix: si non pro patria tamen cecidisset: quia autem sic cecidit, & hæc illi causam mortis attulit, non modo miser non erit: uerũ etiam beatus & felix. Antonius uero miserrimus atq; infelicissimus omnium, qui primo quidẽ in amicis atq; inimicis sine discrimine persequendis, deinde in proscriptione & cruore ciuium, in euertendis legibus, iusticia, & iure opprimendis uersatus, cũ ad tantã se potentiam extulisset fortuna cæca dominante (quæ sæpe sceleratis etiam ad tempus fauet) ad imperiũ orbis terrarũ est euectus: quod sicut scelere et parricidio acquisiuerat, ita ijsdem rursus amisit: coactus deniq; ultimum rerum omniũ subire discrimen, manus illas antè quidem in uiolando iure diuino & humano exercitatas, sibi non minus fœdas atq; impias intulit. Hic aũt uel eo etiam superior fuit quod effrænatã interfectoris sui in puniendo libidinẽ, uoce quidem, quandiu uixit: post mortẽ etiam uiuentibus ingenij monumentis repreßit. Itaq; monumenta illa quidem extant. quæ dum orbis terrarum stabit, dum literæ, dum homines erunt, nulla unquam delebit obliuio: nulla de Antonij parricidio, de tyrannide iniustißimi dominatus cõticescet ætas: illius impietas atq; infamia: huius uirtus & gloria immortalis permanebit, Eas enim uir præstantissimus

simus

ſimus perſcripſit actiões rerũ ſuarũ: quibus neq; admirabilius, neq; diuinius ullæ unq̃ aut literæ, aut linguæ protulerunt, quas cũ hodiè legentes intuentur eruditi homines, cũ effigiem contemplantur ingenij illius, non minus admiratione & uoluptate afficiuntur: quàm illo quondam dicente, in iudicijs atq; in ſenatu animi audientium concitabantur. Quæ cum ita ſe habeant, quis dubitet ipſum non modo ingenij ſui laude longè omnibus gentibus præſtaturum: uerum etiam eorum, quæcunq; ullo tempore futura ſunt, ingeniorum memoria gratitudinis æterna excellentem futurum. Quid autem non in humanæ ſocietatis, in communem ſtudioſorum utilitatem contulit uir ille? qui non contentus fuit forenſi illa eloquẽtia, qua ſine dubio, omnes poſt ſe omnium gentium atq; ſeculorum oratores reliquit, quin illos ipſos quoque Demoſthenem atque Aeſchinem, quibus nihil Athenæ diſertius uiderunt, uel illa ipſa eloquentiæ laude ſuperauit. In Philoſophia autem, quam iſti ne attingere quidem ſcribendo, propter Platonis amplitudinem ſunt auſi, hic ita uerſatus eſt, ut qui in utroque tum eloquentiæ tum ſapientiæ ſtudio tantum excelleret, inuenerit neminem. Ea enim quæ partim à Græcis, qui taliũ authores habẽtur, tranſtulerat, partim pro ſuo arbitrio explicãda ſumpſerat, quæq; ingenio ſtudioq; pepererat, ita tractauit, ut neq; prudẽtiæ illorũ neq;, ingenio cõcedere uideatur. Iã uero ne ullo in loco ſtudioſis deeſſet, quas artes cæteri, qui oratores & erant & habebãtur, obſcurare ſtudebãt,

bas iste ne aliis eam commoditatem discendi aut subtraxisse aut inuidisse uideretur, libris multis de arte dicendi doctissime prudentissimeq; perscriptis illustrauit. Omitto tot Epistolarum uolumina: quibus ad omnem puri, Romaniq; sermonis commoditatem, nihil accuratius, aut perfectius inueniri potest. Sed enim quemadmodum natura ipsa rerum omnium parens, in multis quidem admirabilis ac singularis existit: in nullo autem opere fuit admirabilior, magisq; diuina, quã in homine fabricando: ita huius uiri ingenium nullo opere magis eluxit: nusq̃ præstantius apparuit, quam in orationibus, causisq; forensibus. Quis ibi non admiratur summam doctrinæ cõmoditatem, summa cũ eloquentiæ laude coniunctam? quis paulo felicioris ingenij, non arbitratur ingentem se cognitionis prudentiæq; ciuilis fructum, summa cum uoluptate percepturum? quibus legendis non minus hodie per omnes adfectus incredibili quodam cum animi impetu rapimur, quam illi olim, quibus os præsentis intueri, & uiuam dicentis uocem exaudire licuit, incitabantur. Quæ quidem cũ pertineant ad ciuiles actiones, partẽq; philosophiæ eam, quæ de moribus, hoc est, de uirtutibus atq; uitijs agit, quorum quidem non præcepta tradũt, ut Socrates qui primus eam sapientiæ partem e cœlo deuocasse dicitur, sed summa ui rapiat atq; incitet ad amorem uirtutis, ad indignationem atq; odium sceleris, quis dubitet in illis diuinæ cuiusdam & prudentiæ & ingenij expressam imaginem? quam non auribus solum tanquam audientes & ad-

stantes

ſtantes accipimus, ſed tanq̃ ſpirantem dicẽtis uocem animo ipſo haurire, atq; in præcordia condere uidemur. Teſtantur hoc actiones illius in omni uarietate cauſarum admirabiles ac prope diuinæ. Nec tantum literis impreſſæ, tanquam mutæ ceræ imaginem repræſentant mortuorum: ſed uiuunt ac loquuntur. nec ſolum ueram agentis uocem reddunt: ſed ingenij illius ardorem, atq; uim illam incredibilem, magnitudinemq; animi ob oculos noſtros ponunt, in mentes ipſas penetrant atq; inuolant. Loquuntur ergo ac ſpirant plane illæ, neque id ſolum hoc tempore faciunt, ſed quandiu mundus ſtabit, quandiu hominum natura manebit, aut literis ullus locus erit, tandiu illæ teſtimonium dare poterunt, quantas res uir ille, quanta contentione animi atque ingenij, in foro, in iudicijs, in ſenatu, in campo, omni Reip. & tempore & loco ſuſceperit, egerit, perfecerit. Quæ ſi olim parum effecerunt, aut niſi etiam maximi momenti S. P. Q. Ro. fuerunt, cur Verres in exilium eiectus, Seruilius ui & poteſtate Tribunitia orbatus? cur accuſatus Catilina, & oppreſſus, exagitatus Clodius, Gabinius & Piſo uexati? cur Pompeius & Cato in cœlum diuinis laudibus ſublati: oppugnatus atque proſcriptus Antonius? cur innumerabiles alij aut defenſi, aut accuſati? Itaque confitendum eſt, in illa orbis terrarum principe Republica, res maximas, eloquentiæ uiribus & adminiſtratas & confectas fuiſſe, eamque confitendum eſt eſſe ciuitatis moderatricem, in-

nocentiæ perfugium, asylum iusticiæ, tormentum ac pœnam improborum, ornamentum R. P. uindicem libertatis atque legum, lucem ueritatis, custodem diuini iuris & humani: denique eandem esse pacis, ocij, concordiæ, beneuolentiæ propugnatricem, amplitudinis, dignitatis, fortunarumq; omnium præsidem atque reginam. Denique quid opus est pluribus uerbis eius facultatis laudes prosequi? cuius tanta dignitas est atque amplitudo, ut nullum immortalis Dei munus ciuiles omnes uirtutes præstantius exornare possit: eius? cuius tanta uis est atque potestas, ut sententiæ nostræ subijciat durissimas atque alienissimas mentes: eius? cuius tantus est in omni rerum actione splendor, ut humilia sæpe amplificare dicendo, obscura atque incerta illustrare, incredibilibus fidem addere possit. præter quam, nulla alia scientia, aut facultas tantum ponderis habet, cum fructu & uoluptate, ad omnem lucem ueritatis, doctrinæ, literarum, prudentiæ, rerum denique omnium diuinarum humanarumq; & cognitionem, & memoriam. Hæc cum ita se habeant A V D. O R N. non immerito quidem admirari uidemur eloquentiæ magnitudinem. uobis autem non satis erit, hanc tantam facultatem sola admiratione complecti: sed omni amore dignam iudicare, omni etiam studio ac diligentia uobis expetendam & compræhendendam ducere. Etenim nihil uobis in omni ciuilium rerum tractatione, atque in omni actione uirtutis, studiorum uestrorum & splendidiores

& ma-

& maiores adferre fructus poterit. quam si disciplinas præstantißimarum artium cum studio bene ornateq; dicendi coniunxeritis. eademq; uos opera tum prudentiæ, tum eloquentiæ nomen consequatur. Quantum earum rerum possesio quondam ualuerit, quàm excellens, quam illustris extiterit in florentiß. R. P. P. iam uobis satis multis diximus, nec plura tamen, quàm rei ipsius magnitudo postulat, dicere potuimus, aut etiam quisquam poterit. Nec uero his temporibus, qualiscunq; sit Reip. status, minor eius existimatio habenda est, si in rebus magnis atque arduis, ut olim fieri diximus, adhibeatur. Quid enim hodie magis decet illos, qui ad Reip. gubernacula sedent? aut quod tandem munus in terris est, quod principum uirorum, & nobilium dignitatem magis exornet atque illustret? Quorum cum authoritas ac uirtus, in excelso loco, tanquam quodam orbis theatro sit posita, tum uero & conciliare sibi animos multitudinis, & authoritatem suam populo carißimam reddere omnibus admirabilem dicendo & persuadendo possunt. Quod quidem olim non solum poetæ & Græci, & Latini in maximis regibus laudabile existimauerunt: uerum etiam omnium temporum memoria innumerabilia nobis exempla tradidit, uidelicet in præclaris uiris, semper inter cæteras heroicas uirtutes eloquentiam tanquam præclarißimum lumen emicuisse. Aut quid est hodie, quod in inferiori ordine ciuem paulo disertiorem Reip. suæ magis commendet?

mendet? quæ tandem uel ad opes consequendas, ad magistratus, ad gratiam emerendam paratior facultas est? Iam uerò ita eloquentia, cum iuris prudentia coniuncta est, ut ab ea auelli ullo modo neque debeat, neque poßit. Nec mihi quicquam sane, in omni ciuili uita, aut diserto Iurisconsulto, aut sapiente oratore, uidetur esse laudabilius atque præstantius. In Theologo autem & concionatore ita illa requiritur, ut si præterea adsint cumulate omnia, innocentia, doctrina, religio, authoritas quæ in Theologo maximè esse debent, tamen non minimum quiddam ei deesse uideatur, cui prompta desit, & erudita facundia. Quid ego iam de omni studio literarum, de lucubrationibus & uigilijs eruditorum dicam? quæ quidem si nitore omniq; præsidio eloquentiæ fuerint destitutæ? quis est liberali ingenio præditus, qui non in eo plurimum desideret, qui non hæsitet, cui non fastidium obrepat? quantumuis ille de bonis rebus disserat? Ita est omninò ut res præclaras, cognitioneque dignas, commendet etiam mediocris eloquentia. huius uerò si lumen desit penitus, si absit ornatus ille uerborum & sententiarum congruens, ne legere quidem, cum a natura bona profecta sint, dignentur homines liberaliter eruditi. Iam uerò ea, quæ in tractatione usuque rerum omnium maxime ualent, quæ plurimum in rebus humanis momenti habent, ut sunt hortari, dehortari, queri, mitigare, concitare, consolari, conciliare, terrere,

terrere, confirmare, docere, disputare, præcipere, obscura interpraetari, narrare, tum deprecari, gratias agere, gratulari, obiurgare, insectari, describere, mandare, renunciare, petere, optare, opinari, dolere, delectare, augere, minuere, & id genus similia, quis non hodie tantum ualere putat: quantum apud ueteres uel in Atheniensium quondam, uel Rom. Republica? Quapropter omni labore contendendum est eis, qui se ad Reip. administrationem conferunt, uel ad quancunque aliam liberalem uitæ profeßionem: statuendumq; est eis, neminem recte ad amplißimum munus accedere, si ciuilis eloquentiæ præsidijs sit destitutus. cuius quidem si minus perfectum illud, ac prope diuinum munus tueri poßunt: tamen illis etiam honestum & laudabile futuram, uel saltem mediocrem dicendi facultatem cæteris et naturæ & doctrinæ muneribus adiunxisse. estq; honestũ, ut ille idem Orator inquit, in secundis aut tertijs: aut infra hos etiam, si amplius progredi non possumus, consistere. Res ipsa quidem, ut diximus, ardua atque difficilis est: uerum omnia talia, quibus ad perfectam aliquam laudem uirtutis ascenditur. Sed enim facilior etiam erit ea facultas amanti, ambienti, laboranti, & si studium adhibitum fuerit, & mediocris etiam exercitatio sine qua nulla scientia quicquam ualet, nulla uis ingenij suos fructus consequitur. Etenim si natura ipsa, quamprimum nobis huius pulcherrimæ lucis aspectum dedit: statim etiam in animis nostris instrumenta, ac tanquam semina quædam reliquit, cum om-

nium artium atque uirtutum: tum uel imprimis eloquentiæ. quã si nostra ignauia dilabi atque effluere patiamur: imò si non omni studio nobis ad bonam frugem excolendam proponamus: simus meritò à natura ipsa accusandi: ut eius tot tantisq; beneficijs ingratissimi. Quemadmodum autem boni parentes grauissimè irasci solent liberis suis, si patrimonium illi, quod ab ipsis tanquam monimentum quoddam nominis ac uirtutis paternæ acceperant, id isti præclaris artibus quæsitum, subitò per luxum & dedecus effuderint atque consumpserint: ita turpissimi nos erimus, odioq; maiore naturæ parentis, & si licet, hominum etiam, ac deorum ira dignissimi, si tantum patrimonium uirtutis & laudis acceptum, uel nostra socordia collabi: uel errore & dedecore profluere atque effundi patiamur. Quod si bestiæ quædam, quas natura sermonis expertes finxit, ita tamen agnoscunt sua munera: ut non solum ipsæ illud, quod cuique generi peculiare datum est, exerceant atque excolant: uerum etiam reliquis à se genitas edoceant, quid nobis faciundum putabimus, qui à natura rationem & ingenium tanquam omnium uirtutum atque artium, diuina quædam ac singularia instrumenta percepimus? Quid? nonne eadem animantia, quasdam etiam à natura negatas sibi artes docilitate quadam concupiscunt? nonne auiculæ quædam imitatione spiritus & mentis humanæ, eas quas solis hominibus natura dederat, uoces reddere conantur? Atque

hoc

hoc tantum bestiæ natura duce possunt. nos plurimis & maximis eiusdem beneficijs ornati: nos ingenio, intelligentia, consilio, memoria, singularibus & diuinis muneribus instructi atque aucti, nostra bona negligemus? Neq; iccirco sanè, quod à sapientißimo illo Solone dictum est, NOSCERE VNVMQVEMQVE SE IPSVM OPORTERE, id de uitijs solum dictum putemus: sed multo quidem magis de uirtutibus: ut scilicet nostra bona nôrimus. nosq; ipsos, quantumq; à reliquis animantibus seiuncti sumus, agnoscamus. Quamobrem AD. ORNAT. maximè conuenit, ijs disciplinis atque artibus imbui quamprimum, quæ uos ad omnem honestatem, ac dignitatem, ad salutem humanæ societatis queant erudire. Nec tamen ad Remp. nisi magnis muneribus instructi accedere debetis: neque illotis (ut aiunt) manibus tam sanctum & præclarum munus attingere. Errant enim illi, ac uehementer errant: qui sine præsidio literarum, sine instrumentis magnarum artium, hoc est, sine liberali doctrina, sapientiæq; ratione, præclarè se ad summa fastigia putant accedere. Equidem, quod ad me attinet, in hac sum sententia, splendorem huiusce uitæ, si prosit Reip. non inhonestum esse: si salutem patriæ, si amicis opem adferre poßit, laudabilem etiam atq; exoptandū. attamen uoluptatem eā, quæ siue ab ingenij laude, siue alijs aut in Remp. aut in omnes meritis, immortale uirtutis testimonium præbet: eam

cæteris

cæteris omnibus facilè anteponimus. Quod si apud ueteres Romanos Decij illi, Curtij, Camilli, Scipiones, Fabij pro patria ita dimicârunt, ut non modò fortunas et liberos reliquerint: sed uitam etiam hanc libenter amiserint: quid tandem nos dubitemus, qui ueræ religionis lumen cernimus, æqualem immortalis gloriæ fructum summo studio persequi? Illi enim uxores, liberos, propinquos, fortunas amplißimas æquo animo amiserunt, ut uirtutis laudem consequerentur. illi hanc lucem, & hunc spiritum contempserunt, ut sempiternam nominis sui gloriam posteris relinquerent: nos qui sine periculo uitæ, fortunarumq́;, studio solo exercitationeq; doctrinæ, contentione ingenij placida atque tranquilla, hoc idem præstare nobis possumus, fortunæ scilicet aliquas illecebras, uoluptatum fluxas libidines non æquo animo dimittamus? non mediocrem laborē perferamus? Præsertim uerò cum tot tantæq́; occasiones nobis ad laudem consequendam suppetant. Ea est enim ætas uestra, A D. O R N A T. qua nulla alia commodior unquam futura est, ea autem ad percipienda uirtutis studia opportunitas est & facultas, tum ea quoq; præceptorum copia, ut cum tot tantisq́; rebus sitis muniti, non modò in honestum uobis: sed turpißimum quoq; futurum sit, Deoq́; ipsi naturæq́; inuisum, si omnia ista neglexeritis, imò si nō ad excellentem quoque industriæ laudem prouecturi estis. Id tum deniq; fiet, cum, quæ sit uera literarum utilitas, quæ maximarum artium amplitudo & splendor, qui fructus

uerae doctrinae intelligere coeperitis. Itaq; decipiuntur quidem multi boni uiri, ac falsa in literarum studijs opinione cum ipsi ducuntur, quod dolendum est, tum uerò hoc multo miserius atq; acerbius, quod alios atq; imprimis teneram aetatem in easdem errorũ tenebras inducunt. Putant enim isti, ut prima quisq; cuiuscunq; artis elementa perceperit, aut etiam, ut plerunq; fit, uix leuiter attigerit, satis ipsum beatum ac perfectum artificem futurum, neque ulla aut magnarum rerum cognitione, aut eloquentiae ratione ducuntur, neq; earum usum ullum putant, nisi in literis humanioribus, aut quemadmodum ipsi dicunt, in minoribus facultatib. Quanto tandem satius fuerat, hos didicisse, priusquam ad docendum uenirent, qui uerißimi essent studiorum nostrorũ fructus? qui literarũ splendor & dignitas? quae huius attentionis nostrae pulcherrima praemia? Itaq; hoc modo accidit, ut plerunq; deteriora, quia facilia uidentur, melioribus anteponantur. Optimi uerò rerum scriptores, quia & difficultatis aliquanto plus habere uidentur, & attentione certè maiore opus habent, negliguntur magna quidem studiorum iactura, & disciplinae nostrae calamitate? Pudeat igitur quenquam, aut ita domi suae abditum in literis esse, ut eius studium semper occultum maneat, neque unquam prodeat in communem utilitatem: aut ita quenquam docere, ut doctrinae eius neque in ipso, neque in eis quos multos annos hoc genere disciplinae torserunt, uestigium ullum appareat. Itaq; haec sicut maxime

calamitosa

calamitosa bonis sunt literis: ita neq; tolli, neq; sanari ulla ratione possunt; nisi, quod uerißimũ est, in id aliquando consentiant omnes; ab optimis incipiendum esse & præceptis & authoribus. eorum autem unicuiq; tantum temporis operæq; tribuendũ, quandiu nos meliores, & doctiores, & feliciores queant reddere. Ad hanc rem opus est imprimis uera ratione literarũ, & studijs eloquentiæ, sine qua nulla uitæ profeßio satis felix, aut perfecta dicenda est. Etenim omnes artes, quascunque Deus Opt. Max. humano generi utiles, laudabilesq; tribuit, illustrantur facundiæ splendore, & præsidijs oratorijs; quibus destitutæ non modo suum lumen non retinent: sed horrida etiam & inculta earum tractatio relinquitur, earumq; & perceptio retardatur, & dignitas fœdißimæ cuiusdam barbariæ sordibus inquinatur. Patrum memoria, literarum quis uerus esset usus istis in locis non facile apparebat. omne optimarum artium lumen uasta illa atque fœda barbariæ nocte erat oppressum. conabantur tamen quidam optimi uiri (qui modò paulo aliquid melius uidebant, nam multi, ne id quidem uidebant in tenebris se esse) sed conabantur illi tamen erumpere, tantaq; ab illis contentione tandiu disceptatum est, tanta animi magnitudine certatum: ut aliquando tandem error ueritati, obscuritas lumini concesserit. posteaq; indies magis magisq; literæ, bonæq; artes emerserunt: ut quanquam earum proprij fontes à Græcis essent & Latinis; tamen illi ne suis quidem

ita

ita finibus contineri potuerunt, ut non riuuli quidam ad nos in Germaniam inde emánarent. Quo factum est, ut multi, eodem tempore, doctißimi uiri existerent. qui literarum cultũ, ab Italis quidem iampridem antè recuperatũ, à nostris non ita pridem aut receptum aut cognitum conserere ac propagare cœperunt. Sed ita tamen nostri illi literas propagarũt. ut nisi eas et nos amplificare studeamus, nisi in eisdem colendis atq; subigendis elaboremus, metuendum sit, ne istorum bonorum non modò fructum retinere poßimus, uerũ ipsam etiam poßeßionem simus amissuri. Quæ cũ ita sint AVD. ORN. nullo modo commitendum est, ut per nostram ignauiam auferatur à nobis pulcherrima literarum poßeßio, & optimarum artium dignitas, summoq; opere connitendum est, ut in quibus maiores nostri partim quidem recipiendis, partim etiam conserendis, operam nauarunt suam, eas nos & in nostris sedibus collocandas, & ad summam uerißimamq; laudem euehendas sumamus. Nam illis quidem optimis uiris, præter egregiam uoluntatem, alioquin sanè multa defuerunt, nobis uero occasiones sunt multæ atque magnæ, ætas idonea, præceptorum copia, eruditißimorum hominum frequens quotidiè conspectus, libri, sermones, literæ, quæ si illis paria fuissent, aut si fuissent omnino aliqua, certè non commisissent ut hæc nostra Germania, quemadmodum quidem maiorum suorum uirtute, maiestate tanti imperij, religione prætereà & nobilitate, omnibus, quæ-

cunque

cunq; ullo tempore fuerunt, gentibus aut æquauerat ſe, aut ſuperiorem effecerat: ita eadem in tractione literarum, ſtudijſq; bonarum artium, fuiſſet ullo modo inferior. Hæc nobis palma reſtat, hoc laudis certamen incumbit, non dico cum Italis atque Gallis. quos noſtri homines partim feliciter æquauerunt, partim præclarè ſuperârunt: ſed cum illorûm, à quib. ſunt hæc omnia profecta, induſtria atque laude certandum. Id tum demum fiet: ſi non ſolum ad præſtantiſsimarum rerum cognitionem ſtudium atque animum applicuerimus, uerum etiam tum id fiet, ſi barbaram tractationem, atq; infantiæ turpitudinem, à bonarum literarum induſtria depellamus, ſi etiam cultu ſplendidiore facundiæ, atq; eloquentiæ lumine & ingenia noſtra ad pulcherrimam literarum poſſeſsionem præparemus, & uiam nobis atq; acceſſum muniamus, uel ad ciuilem ſapientiam, uel ad quancunq; profeſsionem uitæ liberalē. Etenim AVD. ORNATISS. quæ nobis occaſio ſit, & quæ facultas uidetis, neque id ſolum uidetis, ſed intelligitis etiam conſilium ſapientiſsimi atque optimi Principis noſtri. qui quidem ut ad omnem laudem uirtutis & ipſe ex familia omnium nobiliſsima propagatus eſt: ita cæteris ſui ordinis omnibus exemplo eſſe poterit, nullum munus in terris principe uiro dignius eſſe, nullū DEO OPT. MAX. gratius, nullum deniq; beneficium ad communem hominū ſocietatem præſtantius: quam retinere in populo religionem, retinere periculoſiſsimis temporibus pacem atque concordiam

concordiam ciuium:tum quod hæc omnia illuſtrat atq; adaugct,propagare literarum ſplendorem,& doctrinarũ cõmoditatem.Quod quidem fieri uidetis in hoc florentiſsimo Gymnaſio,quod ut antea,omni ſtudiorum genere, atq; ordine eruditiſsimorum hominum ſemper floruit: tum uero hoc tempore uel maximè in ciuili illa prudentia, & profeſsione legum longe omnes Reſp. noſtra ſuperat. in qua non ſolum ſapientiſsimus princeps noſtros retinuit, quos præſentes uidetis,quos cũ admiratione auditis quotidiè doctiſsimos & diſertiſsimos homines:uerum etiam his ſimiles ex illa parente & literarum & legum Italia, ut ad ſummam laudem nihil deeſſet, ampliſsimis præmijs euocauit. Itaq; in his nihil quidem deeſſe uobis poteſt, non modo ad commoditatem,ſed etiam ad amplitudinem diuinæ huius ſcientiæ conſequendam.Hoc autem nobis reſtat,in hoc noſtræ profeſsionis ordine,ut unuſquiſq; noſtrum non ſolum tueri munus ſuum: uerum etiam exornare ſtudeat, & amplificare conetur. ut ſcilicet, quemadmodum ſuperioribus illis diſciplinis longè latèq; multis gentibus præſtat Academia noſtra: ita aliquando etiam tractatione optimarum artium,& ſplendore literarum omnium ac dignitate: tum uero prudentiæ & eloquentiæ laudibus nulli in Germania, cæteriſq; prouincijs concedat. Quam quidem ad rem impetrandam A V D. O R N. & permulta uobis adiumenta ſunt ab eruditiſsimis Gymnaſij noſtri profeſſoribus, & à me quidem, quem publicæ profeſsionis ratio illorum nume

ro adiunxit, quantum ſcilicet uel in hac mediocritate inge-nij, uel in hac ætate mea, præſidij ac roboris eſſe poterit: tantum equidem publicè & priuatim docendo, ſæpe etiam & multum monendo, atq; ex hoc loco dicendo, ad iuuandas ueſtras commoditates conferam. Quemadmodum igitur ſuperiori tempore ſemper perfeci, ut publicè quidē omne meum ſtudiū ac laborem uobis compararem: ita & nunc quoq; non minore cura ac diligentia, meam etiam domeſticam, quod anteà non feci, operam atq; induſtriam ut uobis præſtare poſſem, inſtitui orationes aliquot Ciceronis enarrare: in quibus nunc quidem Philippicas, poſt alias etiam actiones, & præcepta eiuſdem diuini illius Oratoris, cæteraſq; huic facultati congruentes rationes atq; artes adiuncturus ſum. In cuius excellenti ingenio, diuiniſq; & ſingularibus monimentis explicandis, unde uobis ampliſsimus ſtudiorum ueſtrorum ſumma cum uoluptate fructus oſtenditur, ſi attentè à uobis fuero auditus, ut amplius uobis & maius nihil pollicear: hoc tamen fuero præſtaturum me, ut ex hac opera mea tantū commoditatis unus quiſq; ueſtrum conſequi poßit, quantum quidem & ad uerum literarum cultum excitato, & ad maiores facultates præparato, nemini pœnitendum eſſe uideatur.

HABITA INGOLSTADII, TOTA FREQVENTE ACADEMIA III. ID. IVN. M. D. XLVIII.

IOANNES PEDIONEVS,

Volphgango Hungero Assessori Imperatorio

S. P. D.




YMNOS meos cum quibusdam Carminibus, atq; etiam Oratione mea typis impressos Alberto Reifensteino, quò istuc facilius perferetur, dedi. Quod quidem eo consilio feci, ut, quoniam mea scripta tibi, & collegis quibusdam tuis essem pollicitus, eaq; iam tandem requiri uiderem, eodem facto & fidem meam liberarem, & gratam beneuolentiæ nostræ memoriam uobis præstarem. Tibi uero Hungere, cui cogitationes meas atq; actiones omnis non solum constare, sed etiam probari uehementer cupio, scribendum etiam duxi, ne tanto interuallo, non equidem oblitus tui, quomodo enim obliuiscar tui? ueruntamen ne aut parum in scribendo diligens, aut non satis officiosus in amando uidear. Volo aũt, atq; etiam cupio, me in utroq; talem agnosci á te quidem primum, qualis uidebar, ut opinor, olim uel iudicio tuo, quod grauißimum duco: deinde


eum

eum cognosci me à cæteris uolo, quem & ingenita naturæ uis, & ratio humanitatis, consuetudoq; bonorum requirunt. Præsertim cum de animo erga nos tuo, & fide, constantiaq; illa singulari, non modò literis constet multorum: sed fama etiam ipsa & sermone plurimorum. Te uerò mirificè scito diligi, coli, amari: non à me tantum, nanque id tibi nouum esse non debet, quod quidem dum facio, prætermittere sine scelere, & summæ turpitudinis nota non possum: sed ab illis etiam omnibus, quicunq; tui aliqua de causa memores esse possunt: quorum ingens est pro uirtutibus tuis multitudo. Nec sanè alia ratione desiderium absentis tui leniri posse credimus, quam æstimatione & fructu dignitatis tuæ. nec tam, qualem à nobis dimissum esse & uirum & amicum quondam doluimus, nunc quidem dolemus: quàm & eò loci nunc uocatum, & ad eos homines dimissum esse gaudemus. Locum es enim nactus Hungere dignißimum uirtutis tuæ: & quasi theatrum quoddam exercendi ingenij, prudentiæ, eloquentiæ tuæ, neque in humili officio, aut sordido munere uersaris, sed in officina quadam iusticiæ, sapientiæq; ciuilis: & in cœtu uberrimo doctißimorum hominum, præstantißimorumq; ingeniorum, tanquam in illa Germaniæ luce atque conspectu es constitutus, & quasi in domicilio quodam, & consilio orbis terrarum. Lætare igitur & fruere tuo isto bono: nos uerò, qui non minorem excommodis tuis atq; ornamentis capimus uoluptatem, ita demum complexus teneto, si senseris idem nos facere, & optatam tui memoriam grato animo

mo tenere. In quo etsi paucis concedo, uel potius nemini: tamen ita quotidianis officijs cum à te quidem ipso, tum à cæteris multis uincor, ut hoc unum doleam, uoluntati non parem esse in nobis facultatem. Atq; eam quidem ob causam, & has scripsi literas, & librum meum ad te perferendum Reifensteino dedi, ut scilicet eodem internuncio tibi, et illius & nostri ueniat in mentem. Nam ipsum quidem, uel ipsos potius Reifensteinos, illos paribus uirtutis atque fortunæ ornamentis similimos fratres, & uerè germanos, quò loci habeas, quo item adolescentem ingeniosissimum Hieronymum Frœschelium, omnis & affines, & alumnos disciplinæ tuæ, amore prosequaris, mihi quidem notum, ipsis uerò notissimum est. Quanti autem illi te faciant, quàm te suspiciant, quàm admirentur ipsorum officijs melius, quàm meis literis cognitum atq; testatum habes. In eorum numero, me quoque ut aliquem numeres, & nos, qua solitus es, constantia atq; amore diligas atq; defendas, uehementer rogo. Collegis tuis, doctrina & uirtute præstantibus, Ioachimo Mynsingero, & Thomæ Schobero meis uerbis salutem. Vale, III. Id. Septembris. M. D. XLIX.



mo tenere. In quo etsi paucis concedo, uel potius nemini: tamen ita quotidianis officijs cum à te quidem ipso, tum à cæteris multis uincor, ut hoc unum doleam, uoluntati non parem esse in nobis facultatem. Atq; eam quidem ob causam, & has scripsi literas, & librum meum ad te perferendum Reifensteino dedi, ut scilicet eodem internuncio tibi, et illius & nostri ueniat in mentem. Nam ipsum quidem, uel ipsos potius Reifensteinos, illos paribus uirtutis atque



mo tenere. In quo etſi paucis concedo, uel potius nemini: tamen ita quotidianis officijs cum à te quidem ipſo, tum à cæteris multis uincor, ut hoc unum doleam, uoluntati non parem eſſe in nobis facultatem. Atq; eam quidem ob cauſam, & has ſcripſi literas, & librum meum ad te perferendum Reifenſteino dedi, ut ſcilicet eodem internuncio tibi, et illius & noſtri ueniat in mentem. Nam ipſum quidem, uel ipſos potius Reifenſteinos illos paribus uirtutis atque

fortu

quò

Hier

diſci

ipſis

quà

lius,

eoru

qua

ueh

ſtan

mei

M.

